

**www.e-rara.ch**

## **Theatrum concionum sacr. topicum**

Theatri concionum sacr. topici theoretico-practici pars VI - de lege naturae et divina: in specie, de Mosaica morali, ceremoniali, & huius typis ad Christum personalibus & realibus : in specie, de Mosaica morali, ceremoniali, & huius typis ad Christum personalibus & realibus ... : cum adiectis

...

**Anhorn von Hartwiss, Bartholomaeus**

**Basileae, Ann. 1686**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-79975>

### Concio XVII

---

#### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Faxit Deus ter Opt. Max. ut ex nobis, in hac vespera mundi, singuli excitentur, qui vina, venerem & aleam non misceant, sed Domino dies noctesque serviant in sanctitate & iusticia ipsi placentes, Luc. 1. 75. & tandem in cælo inebrientur dulcedine domus ejus, Psalm. 36. vers. 9.

Deo Trinuni, Patri, Filio, & Spiritui Sancto,  
sit laus & gloria in sæcula. Amen.



Libri I. Cap. XIV.

DE LEGE CEREMONIALI,

CONCIO XVII.

*De Rebus Sacris, Christi Typis, quales sunt*  
SACRIFICIA.

*Hebr. Cap. 5. vers. 1--10.*

- v. 1. Nam omnis Pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur, in iis, quæ apud Deum agenda sunt, ut offerat donaria & victimas pro peccatis.
- v. 2. Qui miserari possit vicem ignorantium, & aberrantium, quòd & ipse circumdatus sit infirmitate.
- v. 3. Et propter hanc debet, sicut pro populo, ita & pro seipso offerre pro peccatis.
- v. 4. Neque sibi ipsi quisquam sumit honorem,

Vuu

rem,

- rem, sed qui vocatur à Deo, sicut Aaron.
- v. 5. Ita & Christus non sibiipsi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed is, qui dixerat ei, Filius meus es tu, ego hodie genui te.
- v. 6. Sicut & alibi dicit, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.
- v. 7. Qui in diebus carnis suæ, quum deprecationes & supplicationes apud eum, qui poterat ipsum servare, à morte, cum clamore valido & lachrymis obtulisset, & exauditus esset ex metu.
- v. 8. Quamvis Filius esset, tamen ex iis quæ passus est, didicit obedientiam.
- v. 9. Et consummatus, factus est author salutis æternæ omnibus, qui ipsi obediunt.
- v. 10. Appellatus à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedec.



Citè Chrysostomus conc. de Laz. super verba, *Habent Mosen & Prophetas: Magnum precipitium, profundum barathrum, scripturarum ignoratio: magna salutis perditio nil scire de divinis Legibus.*

Veritas hujus dicti ex Judæorum exemplo manifesta est, qui quidem scripturarum Veteris Testamenti literam habent, non verum sensum, non nucleum, Christum, Messiam anxiiis gemitibus desiderant: Sed exhibitum rejiciunt, blasphemant, & alium expectant. Mosen magni quidem æstimant, sed illi docenti, & verum Messiam in manifestis vaticiniis, & egregiis typosum involucris ostendenti, non credunt, quam

ἀπιστοῦν ipse Christus illis exprobrat, Joh. 5. 46. *Si Moysi crederetis, crederetis etiam mihi: nam Moses de me scripsit.*

Varia & multiplex, ex justo Dei judicio, Judaeorum est incredulitas.

a. Non credunt mysterium Trinitatis, cujus manifesta sunt vestigia in Mose & Prophetis.

b. Non credunt Messiam Dei Filium esse, in plenitudine temporis in carne manifestatum, qui, in præludium suæ incarnationis, sæpè Patribus, cum primis Abrahamo, Gen. 18. 1-seq. & Jacobo, Gen. 32. 24. seq. apparuerit.

c. Non credunt, necesse esse, ut peccata hominum, per Messiam mortem, expiantur: quodd Ceremoniæ Legales, Sacrificium Messiae ἱλαστικὸν & expiatorium præfigurârint: & quodd Jesus Christus Dei & Mariæ Virginis Filius, typicas illas veteris legis ceremonias adimpleverit, & genus humanum à peccatis & æternâ morte redemerit. *Nec mirum, non credere, quum ad hunc usque diem Moysi velamen cordi eorum sit impositum, 2. Cor. 3. 15.* En! quantum præcipitium, & quàm profundum barathrum sit scripturarum ignoratio.

Nostrum est, ad eundem cum Judæis lapidem non impingere, sed Moysi credere, qui de Christo scripsit. Descripsit hic, antiquissimus omnium Historiographorum, Mundi originem, Ecclesiæ plantationem & propagationem, admirabilemque & sapientissimam rerum omnium in Mundo per annos ferè 2500. gubernationem: Populi Israëlitiçi servitutem in Ægypto, & liberationem ex illa: Majestaticam Legis Moralis de monte Sina promulgationem, & Legis Ceremonialis atque forensis à Deo acceptæ, Populoque Judaico traditæ, præscriptos Canones & regulas. Messiae in carnem adventum non tantum clarissimè prædixit, sed totam etiam officii illius Mediatorii administrationem, in toto cultu Ceremoniali, cum primis in Sacrificiis luculentissimè adumbratam, exactissimè descripsit. Rectissimè igitur: *quisquis Moysi credit, Christo credit, quia Moses de Christo scripsit, in manifestis variis, & in figuris typicis.*

Judæi Populus fuerunt admodum rudis & obtusus, & ad Idolatriam admodum proclivis, qui rudimentis & adminiculis crassioribus opus habuerunt, quod, in terram Canaan introducti, vicinarum Gentium moribus & ritibus, minus inescarentur, & à vero Dei cultu avocarentur, Deut. 4. v. 14--16.

Rudimenta illa crassiora fuerunt variæ illæ Ceremoniæ & ritus

tam sacri, quàm profani & civiles, magno numero illis per Mosen præscripti, quibus illorum exerceret sensus, excitaret fidem, obsequium perpetuaret, & à comminiscendis novis divini cultus formulis & ritibus avocaret, maximè, cùm in his à Deo præscriptis nihil vanum aut superfluum, sed tota illa pædagogia typorum & figurarum, verum Messiam adumbrantium, adeoque sacrorum mysteriorum plenissima fuerit.

Spectavimus hactenus Personas aliquot Christi typicas, quarum consideratio proposito nostro sufficit: convertamus nos porrò

*Ad res & actiones sacras, quibus Christi officium mediatorium, & generis humani cum Deo reconciliatio fuit adumbrata, & primùm quidem differemus De Sacrificiis.*

De his Paulus in prælecto textu agit, & docet: Pontificem Max. & Sacerdotes V. T. ex hominibus assumptos, pro hominibus constitutos fuisse in iis, qua apud Deum agenda fuerunt, ut offerrent donaria & victimas pro populo & pro se ipsis, &c.

(Confer, qua supra pag. 373. seqq. in hunc ipsum textum diximus: Quomodo Aaron & Sacerdotes Levitici, Typus Christi fuerint. Ibi de Pontifice & Sacerdotibus egimus: Heic de Sacrificiis, qua obtulerunt.)

Comparat Apostolus hoc loco Christum & Pontificem Vet. Testamenti, sub quo etiam reliquus ordo Sacerdotalis comprehenditur,

### Ratione I. Vocationis.

#### II. Functionis.

I. Ratione vocationis, v. 4. Nemo sibi ipsi sumit honorem, sed expectat legitimam vocationem sicut Aaron, cujus vocatio Exod. 28. describitur: quam ad Christum applicat v. 5, 6. cujus vocationem ex Psalm. 2. 7. & 110. v. 1. seq. probat.

II. Ratione functionis. De Pontifice ait

I. Ex hominibus assumptum, pro hominibus constitutum esse in iis, qua apud Deum agenda fuerunt, v. 1. hoc est, reconciliasse Populum cum Deo per Sacrificia expiatoria, quæ appellat, dona & victimas pro peccatis, quia typi & umbræ fuerunt veri & unici illius Sacrificii Christi, Deo Patri in cruce oblatis.

Chri-

Christus æternus Dei Filius, ab æterno à Patre genitus, Pf. 2. v. 7. pariter ex hominibus assumptus, hoc est, ex Maria Virgine verus homo natus, in diebus carnis suæ egit apud Deum, qua pro hominibus agenda fuerunt: deprecationes enim & supplicationes Deo Patri cœlesti, valido cum clamore & lachrymis, obtulit. Preces obtulit, Joh. 17. & passim in historia Evangelica, quando totas noctes in precibus perdurasse legitur: *Validum clamorem* expirans in cruce, in qua per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, Hebr. c. 9. v. 14. *Lachrymas* in oliveto sanguinem sudans, & alibi sæpè: nunquam enim in tota vita sua risisse, sæpiùs flevisse, & nunquam sine lachrymis orasse, Veterum nonnulli sentiunt.

2. *Miseratum fuisse vicem ignorantium & aberrantium.* Fecit idem Christus, qui, ex multa & magna miseratione, deprecationes & supplicationes, cum lachrymis & valido clamore, pro nobis apud Deum Patrem, exoptato cum successu & effectu, deposuit, quia exauditus est ex metu, & obedientiâ suâ, quâ, virtute æterni decreti, obstrictus erat victima pro peccatis nostris fieri, vitam & salutem nobis peperit.

*Triplex tamen inter Christum & Pontificem Veteris Testamenti etiam intercedit dissimilitudo, ex qua, Christi præ Pontifice, eminentia conspicitur.*

I. *In ordine.* Leviticus Pontifex erat ex ordine Aaronis. Christus autem ex ordine Melchisedek, v. 10.

II. *In qualitate.* Pontifex Leviticus ipse circumdatus fuit infirmitate, v. 2. Christus autem obedientiam ita didicit, v. 8. ut ὁσιος, ἀκακου, ἀμίαντος, κεχωρισμένου ὑπὸ τῶν αἰματηρῶν, Hebr. 7. 26. obedientiam reipsa Deo Patri præstiteris, ad mortem usque crucis, Phil. 2. 8.

III. *In objecto.* Pontifex Leviticus non tantùm pro populo, sed etiam pro se ipso offerre debuit, v. 3. *Christus autem non pro seipso, sed pro omnibus, qui ipsi obediunt, consummatus auctor ipsis factus est salutis æternæ: cæteris in Christum non credentibus, suâ culpâ pereuntibus.*

*Quomodo Pontifex Maximus & Sacerdotes Veteris Testamenti respectu Sacerdotii, sui Typi Christi fuerint, ratione suæ vocationis, & officii functionis, suprâ concione XI. vidimus. Jam, ex fundamento prælecti textûs, Divini Spiritûs gratiâ adjuti, agemus*

*De solis Sacrificiis Leviticis, quæ Pontifex &*

Sacerdotes, ex officio suo, Deo immolârunt: & dicemus

I. *Quid Sacrificia Levitica fuerint?*

II. *Quotuplicia fuerint?*

III. *Quis illorum usus fuerit in Vet. Test.*

*& quis adhuc sit in Novo Testamento?*

I. *Quid Sacrificia Levitica fuerint?* Apparet hoc ex illorum *Nominibus & Definitione.*

1. *Nomina Sacrificiorum.* Judæi nulla sacra pro Sacrificiis propriè dictis habuerunt, nisi qualia Scriptores sacri קרבנות דעו פוגגיס, oblationes vocant. קרבן autem in Sacris Literis id dicitur, quod Deo pro ara offertur, quo nomine, Neh. 10. 34. & c. 13. 31. etiam ligna ad sacra adolenda, aræ destinata, intelliguntur.

Cùm verò res Deo oblatae, aliæ, Sanctuarii ministerio, illasæ & integræ conservatae sint, velut *vasa sacra*, &c. aliæ dimissæ & ablegatae, ut hircus in desertum abductus, aliæ *consumptæ*, ut holocausta, *solas illas oblationes, quæ, ritu sacro, igne consumebantur*, Judæi pro Sacrificiis habebant: quarum rerum, aliæ erant *ex inanimis*, aliæ *ex animantibus*, omnes tamen *victui humano idoneæ*, ut Deus author & dator, *vita & alimenti*, agnosceretur atque honoraretur.

Quæ ex rebus inanimis Deo oblata fuerunt, מנחות dicta sunt, *ferta, munera, dona, dapes*: oblata ex animantibus, si volatilia exceperis קרבן *victimæ, hostia*. קרבן igitur oblationem è pecudibus notat, seu victimam, quæ mactabatur, & fuso illius sanguine, divinum Numen placabatur. Ita verò, ut plurimum, *Sacrificium pacificum & salutare* appellabatur.

2. *Definitio Sacrificiorum Augustini hæc est*: quòd sint *invisibilis Sacrificii, Sacramentum visibile*. Nos hanc damus: *Sacrificium est ceremonia divinitus instituta, quâ res externa & visibilis Deo offertur, cum destructione vel totius vel partis rei, quæ offertur, ad contestandam hominis obedientiam, & confirmandam fidem ejus in promissionibus Dei de Mediatore exhibendo, ejusdemq; officio & beneficiis, quæ sunt expiatio peccatorum, reconciliatio cum Deo, & salus seu vita aterna.*

Hæc Definitio Sacrificii consideranda nobis proponit

I. *Sacrificiorum Genus & objectum.*

II. *Causas: Efficientem, Materiam, Formam & Finem.*

A. Sacri-

A. Sacrificiorum Genus, Ceremonia est, externa nempe & visibilis. Nullum enim Sacrificium proprie dictum est, quod circum externam & visibilem non occupetur: quæ res externa & visibilis paulò inferius, nomine *Materia*: & illius tractatio, nomine *Formæ* consideranda venient.

*Objectum*, Deus est, & quidem Solus, quin soli Deo Sacrificia sunt offerenda, tanquam cultus religiosus externus, Esr. c. 4. v. 2. Psalm. 50. 14. 1. Sam. 1. 3, 21. cum quo conjuncta debet esse animi pietas interna: & profecta ex fide opera moralia pietatis & caritatis externa, Psalm. 69. 31, 32. Prov. 21. 3. Quod ipsi agnoverunt Ethnici, testimonio Senecæ lib. 1. de Benefic. cap. 6. *Ne in victimis quidem, licet opime sint, auroq; præfulgeant, Deorum est honos, sed pia ac rectè voluntate venerantium.* Et alibi: *Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus est.*

Cultus igitur est idololatricus *Gentilium*, qui innumeris suis Diis, hoc est, ipsis Dæmonibus sacrificant, Lev. 17. 7. 1. Cor. 10. 20. Vide Clarissimum Stukium de Sacris & Sacrificiis Gentilium.

Cultus non minùs Idololaticus est *Pontificiorum*, qui Sanctis suis litant, & in illorum honorem Missas canunt, quas pro incruento ipsius Christi Sacrificio, horribili idololatria habent.

Cultus sceleratus est ille voluptuorum, qui cum Polyphemo, apud Euripidem in Cyclope, aiunt, se ventri suo tantum offerre victimas, qui Deorum esset maximus, Phil. 3. 19. Rom. 16. 18.

B. Cause Sacrificiorum considerandæ sunt *Efficiens, Materia, Forma & Finis.*

I. *Causa Efficiens* Sacrificiorum est vel *Principalis*, vel *Instrumentalis*.

∞. *Causa Principalis* est ipse Deus, qui Sacrificia instituit post lapsum Protoplastorum, ante Legem, & post Legem latam.

a. *Ante Legem latam.* Legimus enim, Gen. 4. 3, 4, 5. primos fratres Cainum & Abelem victimas Deo obtulisse, Cainum de fructu terræ, Abelem de Primogenitis gregis sui, & de adipe eorum.

(Errant, qui putant, Abelem non obtulisse animalia viventia, mactata: sed ex animalibus viventibus lac, quod per adipem pinguisimum intelligunt, & lanam. Erroris causa est præpostera opinio, ante diluvium non licuisse animalium carnibus vesci, nedum ea sacrificare: Ovidii Poëtæ Gentilis effatum ipsis: *Craculum est: Vetus illa ætas non polluit ora cruore.* Quem errorem, non ita pridem

prudem Clarissimus D. D. Heideggerus, in aureo suo tractatu de Libertate Christianorum à Lege cibaria veterum, ita profligavit, ut resuscitatum iri non opiner.)

Quæritur autem: An primi illi Fratres ex jussu & instinctu divino sacrificarint?

R. Non opus esset hâc quæstione, nisi Pelagianizantes nonnulli docerent, primos, qui Sacrificia Deo obrulerunt, sive Cain & Abel fuerint, sive ipse Adamus, non ex jussu & instinctu divino sacrificasse, sed ex dictamine rationis naturalis. Fieri quidem potuit, ut ex naturali rationis lumine conjectarent, conveniens esse, ut Deo suum ex lapsu contractum confiterentur reatum: Ast genuinum Sacrificiorum mysterium, naturâ duce non sunt assecuti. Quis enim mentem Domini cognovit? Esaj. 40. 13. Rôm. 11. 34.

Credimus itaque cum Hugone de S. Victore, Deum docuisse Adamum Cultum divinum, quo ejus benevolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat. Quæ ipsa multorum ex Scholasticis sententia fuit, Adamum in spiritu docuisse Filios, ut offerrent Deo decimas & primitias. Rangolius Homo Pontificus in 1. Reg. c. 1. v. 3. disertè ait: Abelem & Cainum, Germanos fratres, ab Adamo Patre, sacrificandi ritum fuisse edoctos: Adamum autem à Deo. Et Bellarminus ipse, multis suis contribulibus contrarius, lib. 1. de Missa, cap. 2. pag. m. 1301. ait: Deus, qui primus sine dubio inspiravit Abeli & aliis sanctis Viris usum Sacrificiorum, voluit, per ea Sacrificia, Sacrificium omnium Sacrificiorum præstantissimum adumbrari, illud autem morte, & destructione rei oblata constabat.

Quando verò & quomodo Sacrificandi ritum Deus Adamum docuit? Certè non ante lapsum, quia significabat Christi Sacrificium, unicum contra peccata remedium, & pertinebat ad Evangelium, quod nuntiari nec debuit, nec potuit, nisi miseris reis & captivis, Esaj. c. 61. v. 1, 2. Post lapsum igitur, & primam Evangelii annuntiationem de semine mulieris, serpenti caput contrituro, Gen. 3. 15. prima illa federis gratiæ promissio Protoplastis Sanguine mactatarum pecudum dedicata, & ex illarum detractis pellibus, vestimenta, ad eorum nuditatem tegendam, Gen. 3. 21. fuerunt confecta, indeque lex postea Levit. 7. 8. constituta, ut Sacerdos holocaustum, offerens, victimæ pellem haberet. Huc facit, quod Judæus quidam, author Neve Schalon l. 9. c. 5. citante Celeberrimo Heideggero in lib. de libert. Christian. à lege cibaria V. T. c. 3. pag. m. 29. scribit: Adamus, antequam peccaret, totus erat Sacrificium, ideoq; Sacrificio non erat illi opus. Sed postquam peccavit, & sensit defectum, quem ei peccatum intulerat, volens reparare, quod pervererat, obtulit suum Sacrificium.

Modus,

Modus, quo Deus Adamum sacrificare edocuit, sine dubio non alius fuit, quàm quo etiam postea Deus voluntatem suam Patriarchis & Prophetis revelavit, nempe vel per visionem, vel per externam apparitionem, vel per inspirationem internam. Quòd enim post lapsum, reconciliatus Deo, gratiam acceperit propheticam, Moses non obscurè indicat, Gen. 3. v. 20.

Cæterum quòd Abel non ex instinctu nature sacrificarit, Paulus Heb. c. II. v. 4. manifestè docet: *Abel enim per fidem obtulisse pretiosorem victimam quàm Cain: At fides nititur testimonio revelantis, mandantis & promittentis Dei, cui credit, quòd verax sit, Joh. 3. 33.* Atque in hac fide, fiducia etiam est divinarum promissionum, & gratitæ remunerationis. Confer Clarissimi Heideggeri Part. I. Hist. Patriarch. pag. m. 104. 105.

Quæ capita fuerint revelationis divine Adamo circa Sacrificia factæ, in qua filios instituit, patet ex ipsis Sacrificiis Caini, Abelis, & reliquorum Patriarcharum, usque ad leges à Deo per Moysen Levitis, quæ ratione sacrificare debeant, præscriptas, nempe, ut exstruant altaria, ut offerant primitias frugum, animalia cum adipe, ut Sacrificia igne sacro comburant, & quæ alia pieratis, precum & invocationis nominis divini exercitia, cum illis conjungere debeant, ut typi essent unici illius Sacrificii Seminis mulieris, in quo genus humanum à Deo in gratiam receptum est. Atque ita rectè observârunt Veteres: *Plurima legalia ante legem, inde à principio fuisse observata: quod ipsum in Sacrificio Caini & Abelis apparet, cujus narratio tota, exactè cum legibus Mosaicis de Sacrificiis, congruit: ex quo apparet, illum ipsum Deum, Adamo & Filiis ejus, sacrificandi ritum præscripsisse, qui Populo Israëlito per Moysen.*

b. *Post legem latam, ritum sacrificandi, Deus populo Israël per Moysen præscripsit, qui cum Patriarchalium Sacrificiorum ritu conveniebat, & in Levitico cum omnibus Sacrificiorum speciebus exactè describitur, sicut ex Sacrificiorum Materia & Forma, paulò inferrius explicanda, patebit.*

β. *Causa instrumentalis, seu Persona, quæ Sacrificia obtulerunt, fuerunt*

1. *Inde ab Adamo ad Moysen,*

a. *Vel ipsi Patres familiâs. Velut Adam, qui haud dubiè illas sacrificavit pecudes, quibus Deus illum pelles, ad conficiendum sibi & Evæ tunicas, detrahere, & carnem illarum offerre*

ferre iussit. Ita quoque Noach ex arca, post diluuium egressus, Sacrificium Deo obtulit, Gen. 8. 20, 21. Et post Noachum, Abrahamus, Isaacus & Iacobus, singuli suis temporibus.

b. *Vel Familiarum Primogeniti*, quando functioni huic obeundæ per ætatem fuerunt pares, Exod. 24. v. 5. Confer, quæ Conc. XI. pag. 395. 396. de *Primogenitis*, diximus,

2. *Inde à Mose ad Christum Sacrificia in Populo Dei administrarunt Pontifex Maximus & Sacerdotes inferiores*, de quorum functionibus & peculiaribus vide suprâ Conc. XI. pag. 402. Et observandum est, nec Regibus, nec cuiquam alii licuisse, Sacerdotum vices agere. Postquam Rex Saul, non expectato Samuelis adventu, ipse victimas mactavit, 1. Sam. 13. 9. regnum à Posteris ipsius fuit ablatum: Et Rex Ulias, propter eandem causam, quod in Sacerdotum officium involâisset, insanabili leprâ percussus, 2. Paralip. cap. 26. v. 16. seqq. De Rege quidem Davide & filio ejus Salomone etiam legitur, quod sacrificaverint, 1. Sam. 24. v. 25. & 1. Reg. 8. 63. *Sed sacrificarunt, non ipsi immediatè, verùm mediatè, per Sacerdotes*, quibus id muneris erat demandatum.

Quando Sacerdos, nomine Israëlitiæ alicujus, qui victimam ei attulit, illam Deo obtulit, sicque ejus nomine rem divinam fecit, *presens ille adesse, & eo tempore in atrio Sacerdotum versari debuit*: quando verò pro universo Populo, res sacra facienda erat, aderant Legati Universitatis Sacrorum causâ, quos *Viros Stationarios* appellârunt, 2. Chron. c. 30. 16. Nehem. 13. 11. *Nemini enim, sine Sacerdote, Deum adire licebat, qui ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutus fuit in iis, quæ apud Deum agenda erant, in offerendis donis & Sacrificiis pro peccatis*, Hebr. 5. 1.

## II. *Materia Sacrificiorum*, seu res offerenda, fuerunt

*Res vel Animata: vel Inanimata.*

1. *Res animata*, Animalia non immunda, sed munda. Animalium in munda & immunda divisio, in Scriptura Sacra est notissima, cujus prima fit mentio, Gen. 7. 2. non quod ulla, per se & sua naturâ, sint immunda, quia si extremum vermiculum naturâ malum dixeris, universa nature injuriam facis, Isidor. 1. sent. cap. 11. *Sed ex Legislatoris arbitrio, idque partim sacro, propter Sacrificia, partim profano usu, in cibis.*

Quæ munda vel immunda, Dei arbitrio, judicata sint animalia & volucra, Levitici capite undecimo legitur.

Gentiles Judæorum Sacrificia ex quadam κακοζήλῳ imitati, omnis generis animalia & volucra, atque ipsos quoque homines, Diis suis immolârunt

α. Omne genus animalium. Myfi, Romani, & Gothi, equos Marti: Hyperboræi asinos Apollini: Hetrufci porcos Cereri: Lacedæmonii canes Neptuno: Alii Soli equos: Marti lupos: Priapo asinos: Dianæ cervas: Hecati canes: plerunque tamen, & pluribus Diis boves, oves & capras in victimam obrulerunt. Ex volucris Gallum gallinaceum Nofti, Anferes Ifidi, Pavones, & Meleagrides Diis aliis, &c. & Pisces Neptuno immolârunt. Vide Stuk, de Sacris & Sacrificiis Gentilium pag. 45. & feqq. Bocharti Hierozoicon, Part. 1. & 2. multis in locis.

β. Ipsos quoque homines, quâ ἀνθρώπων ἑστία & crudeli devotione, ad quam Sathan Gentiles pellexit, velut Simius, Abrahami & Jephthæ Sacrificia: illud imperatum, hoc ex voto & errore in effectum datum, imitaturus, horrendo scelere se obstrinxerunt.

Aphri infantes suos Saturno immolârunt: Schyto-tauri advenas Dianæ: Laodicæi quotannis virginem Palladi: & Arcades Jovi Lycæo puerum. Cimbri, Galli, Druidæ, & Germani, statis diebus, humanis hostiis litabant, & cruore captivorum aras adolebant.

Aristomenes Messenius 300. olim homines mactatos Jovi Ithemio obtulit. De qua barbarie non malè olim Cicero: si quando, aliquo metu adducti, Deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant, ut ne Religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam priùs scelere violârint.

Cùm Hannibalis Carthaginensium Ducis Filius Aspar, sorte, ut cum aliis nobilium Carthaginensium pueris, immolaretur, tactus fuisset, Imilce, uxor Hannibalis, graviter de immiser cordia Deorum conquesta est. Vide Stukium de Sacris & Sacrif. Gentil. pag. m. 42.

Gentilium abominaciones æmulati non rarè fuerunt Judæi, 2. Reg. 3. 27. 2. Chron. 33. 6. Psalm. 106. 37. Jerem. 7. 31. qui filios Molocho immolârunt. Fuit autem Molocho idolum æreum in valle Gehinnon, figurâ Regis fabrefactum, intus concavum, cujus caput vitulum, reliquum corpus, hominem exprimens, brachia ad immolandos pueros excipiendum habuit extensa, qui vehementi idoli, prunis ardentibus repleti, calore, inter hos nefarios ample-

xus comburebantur. Ne verò in horrendis illis tormentis, miserabilis puerorum ejulatus exauditus, parentum viscera commoveret, & ut gratus idolo holocaustum fieret, Sacerdotes Molochi, quamdiu officium durabat, rauco tubarum clangore, & ingenti tympanorum strepitu undique æthera replebant. Unde *Tophet*, locus ille, à Tympano dictus fuit, Esaj. 30. 33. Detestandam hanc Populi insaniam, pius Rex Josias correcturus, loci amœnitatem immundorum animalium cadaveribus fœdari jussit, 2. Reg. 23. 10.

Deus ex lege sua, *munda animalia sibi offerri voluit*, eaque non fera, ut cervos, capreas, rupicapras, &c. *sed domestica*, Boves, capras, oves, & Aves.

a. *Boves*, quorum nomine intelliguntur *Tauri*, Lev. c. 16. v. 14. Hebr. c. 9. v. 13. & c. 10. v. 4. *Vacca*, Num. cap. 19. v. 2. Hebr. cap. 9. vers. 13. *Vituli*, vel *juvenci*, Exod. cap. 29. v. 1. 3, 10, 12. Levit. cap. 1. v. 5. &c.

b. *Capra*, Levitic. cap. 3. vers. 12. & cap. 5. vers. 6. *Hircus*, Levit. cap. 4. vers. 23. cap. 9. vers. 3.

c. *Oves*, Levit. cap. 3. vers. 6. cap. 9. v. 3. *Agnus*, Lev. c. 3. v. 7. & *Aries*, Levit. c. 3. v. 6.

d. *Aves*, *columba* & *turtures*, Lev. cap. 1. vers. 14. c. 5. vers. 7, 11. Passerum etiam fit mentio, Levitic. cap. 14. vers. 4. sed ad Sacrificium non adhibebantur: verum in purgatione Leproforum.

In animalibus immolandis, requisivit Deus integritatem & justam atatem.

α. *Integritatem*, Levit. 22. v. 21--28. ut sint immaculata & nullum corporis vitium in illis: non cæca, non fracta, non mutila, non fluxu, psorâ, aut saniosâ scabie affecta, non contusa, non avulsa, non excisa, non empta ab alienigenis, &c.

Requirebat autem Deus victimas adeò puras & omni labe carentes, tum ad Religionis honorem & decus: tum ad Christi agni inculpatis & incontaminatis innocentiam & sanctitatem testandam: tum denique ut Deo non vilia sed pretiosissima & optima quæque offerre & consecrare disceremus, Mal. 1. 7, 8.

β. Quoad atatem, agnum, vitulum, aut capram, quum nati fuerint, ante octavum diem offerre fas non erat, Lev. 22. 27. quia ante id tempus, fœtus adhuc mollis, & partus illuvie squalidus est, adeoque nondum pro animali perfecto habetur. Alibi verò agnos

agnos anniculos, arietes bimos, & juvencos trimos offerre debuerunt, sicut passim in Exodo, Levitico, & Numeris legere est.

Cùm animalia Deo in Sacrificiis offerri debuerint *in typum Sacrificii Christi*, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, Hebr. 9. 14. non immeritò

Quæritur: *Cur Deus non voluerit, ut, sicut Christus seipsum obtulit, ita etiam Pontifex Maximus & Levitici Sacerdotes seipso mactarent & offerrent? Cur homines fecerit Sacerdotes, & pecudes, non homines, Sacrificia?*

R. Causæ sunt,

1. Quia nulla caro humana est sine peccato: quod verò peccatis inquinatum est, Sacrificium pro peccatis fieri non potest.

2. Etsi Sacrificia pecuina, verum pro peccatis Sacrificium non fuerunt, sed veri tantùm Sacrificii typus, ipsa tamen etiam sine peccato esse voluit. Animantibus enim, quæ ratione destituuntur, lex data non est, ac propterea non ulla in illis observatur transgressio. Nec tantùm ea sine peccato esse voluit, sed etiam sine corporalibus defectibus & impuritatibus, quæ partes sunt vanitatis illius, quibus creaturæ irrationales, non propter propria, quæ nulla habent, sed propter hominis, cui inserviunt, peccata, Rom. 8. v. 20. obnoxia sunt: ut omnibus constaret, *justitiam Dei placari non posse, nisi per Sacrificium, peccato prorsus non obnoxium.*

3. Si Sacerdotes seipso immolâssent, in Sanctum Sanctorum, quæ altera officii ipsorum pars fuit, ingredi non potuissent.

4. Talis requirebatur Sacerdos, qui loco peccatorum moreretur, ut peccatoribus parceretur. Ut Abraham parceret Isaac, arietem Deus substituit in Sacrificium, Genes. cap. 22. vers. 13. *Substitutio itaque bestiarum, substitutionem Filii Dei in locum peccatoris, significavit.*

5. Nullius Levitici Sacerdotis amor tantus erat, ut pro aliis mori vellet, Rom. c. 5. v. 7. Solus Christus mortem subire voluit pro nobis hostibus suis. Moses quidem se obrulit ad moriendum pro populo, Exod. c. 32. v. 32. sed rejecit Deus illius propositum, quia non satis virium habuit ad illud implendum.

3. Res inanimatae in Sacrificiis, fuerunt *terrâ nascentia, vel arida, vel liquida.*

α. Arida, fructus, granum, simila, panis coctus vel

in clibano, vel in sartagine, aut craticula, Lev. 2. v. 4. seqq.

β. *Liquida*, oleum & vinum.

Hæc Sacrificia מנחה *Munus* seu oblatio dicebantur. Negant alii, Sacrificia propriè fuisse; alii ajunt. Illi necessaria quædam fuisse dicunt, cum animalibus immolatis Deo oblata. Nos *Sacrificium propriè fuisse* dicimus, argumento loci Levit. 2. v. 1. seqq. *Oleum simila affundebatur & thuris addebantur odores*; unde acceptum pugillum cum universo thure adolebat Sacerdos Jehovæ, *reliqua ipsi cedebant*. Ibid. Hæc oblatio, propter dona thurea, suffimentum memoriale Deo gratissimum erat.

*Fermentum & mel muneribus istis miscere nefas erat*, Levit. 2. II.

a. *Fermentum*, ut fermentum vetus malitiæ & nequitiae expugnare discerent, & azymos Deo offerre, panes sinceritatis & veritatis, I. Cor. 5. 7, 8.

b. *Mel*, ne Ethnicos imitarentur, quibus res dulces in oblationibus suis miscere mos erat, juxta illud Ovidii, lib. 3. Fast.

*Liba Deo sum, succis quia dulcibus ille*

*Gaudet & à Baccho mella reperta ferunt.*

*Sale* verò, omne munus salendum erat, Lev. 2. 13. quo significabatur *incorruptibilitas & aternitas federis Dei*, 2. Chron. 13. 5. Num. 18. 19. cujus symbolum Sacrificia fuerunt: & admonebatur Populus, *ut corruptelas omnes tam in doctrina, quam in moribus vitaret*, Deumque sincerè & constanter coleret.

**III. Forma Sacrificiorum.** Circa hanc notamus certos actus, & ritus *Sacrificales externos*, qui singuli typi sunt Sacrificii à Christo Patri suo cœlesti pro nobis oblati. *Actus illi sunt*

1. *Victima selectio.* 2. *Ad Sacerdotem adductio.*

3. *Manuum impositio.* 4. *Maectatio.*

5. *Sanguinis dispersio.*

1. *Selectio.* Seligenda erat ab offerente victima integra, ætatis florentis, cujus qualitates explorari debebant à calce ad verticem usque, Lev. 22. v. 21--seqq. ne quid vitii inesset vel in membris, vel in vellere, vel in gressu.

2. *Ad Sacerdotem adductio.* Qui victimas suo nomine à Sacerdote offerri volebant, eos vel ipsi, vel per alios adducere debuerunt ad urbem & locum Sacrificii; id, quod apparet ex Levit. c. 1. v. 2, 3, 10, 14. ex Levit. capp. 4. 5. &c. ad portam tentorii conventus, Levit. cap. 17. v. 6.

Quo verò mundiora offerri possent sacrificalia pecora, non tantùm externè integra esse debuerunt, Lev. 22. v. 21. seq. sed interiora etiam singula in holocaustis accuratissimè lavari, ne quid superesset, quod lætæ legi Dei contrariaretur.

Quæ pecudes ex aliis urbibus & pagis terra Judaica & Israëliticæ, ad immolandum adducebantur, in piscina probatica, in qua aquæ pluviales colligebantur, lavabantur: exta verò & crura holocaustorum, jam mactatarum pecudum, in æneis labris ad hunc usum in templo constitutis, 2. Chron. 4. 6.

3. *Manuum impositio.* Postquam selecta victima integra, sine vitio ad Sacerdotem ad portam tentorii conventûs adducta fuit, imponebantur illi manus, Lev. 1. 4. Cap. 3. v. 2, 8, 13. Cap. 4. v. 15, 24, 33, &c. aliquando cum quadam elevatione & agitatione, Lev. 7. 30. Cap. 8. 27. Cap. 9. 21, 25. In manuum illa impositione consistebatur offerens peccata sua in victima caput, Lev. 16. 21. ut in victimam, peccatorum suorum poenam transferret, quasi diceret: *Quicquid à me peccatum est, sit in hujus victimæ caput, hoc est, poenam peccato commertam, repositat ab illa Deus.* Confer consimiles loquendi formulas, 2. Sam. 1. 16. Esth. 9. 25. Ps. 7. v. 17. Act. 18. 16.

Eusebius lib. I. Demonstr. Evang. de hoc ritu sacrificandi ait: *offerentem victima manus imposuisse, quia pro suo capite obtulerit.* De Ægyptiis Herodotus lib. 2. cap. 39. narrat, quòd victimarum capita his verbis execrati sint: *Si quid mali, aut ipsis immolantibus, aut Univerſa Ægypto futurum est, id in hoc caput convertatur.*

Sic itaque victima fiebat peccatum, rea culpæ & pœnæ, non ex natura sua, sed ex Dei ordinatione, alienam expiationem, propriæ loco, acceptantis.

4. *Mactatio.* Post impositionem manuum, & factam confessionem peccatorum ab offerente, Lev. 1. 3, 4. vel à Sacerdote, Lev. 16. 21, 22. victima mactabatur, & in partes secabatur: Sanguis mactatarum victimarum crateribus excipiebatur, & ne concreſceret, agitabatur, totumque holocaustum igne consumebatur: ex reliquis Sacrificiis, solùm pars aliqua, in pacificis & pro peccatis, viscera & adeps, in muneribus, farinæ pugillus, cum oleo & thuris libamine.

Dum victima ardebat, Levitæ Musico concentu Deum celebrabant, & ut propitius Sacrificium acceptaret, orabant. Avibus Sacerdos pollice caput discindebat, ingluviem aufererat, & tandem difficilis

cissis sub alarum recessu carnibus, eas cremabat, Lev. i. 14. seqq.

*Ignem peregrino victima non erant cremanda, sed igne sacro, miraculoso, & Sacrificiis coævo. Quemadmodum enim, quæ probabilis Præstantissimorum Theologorum sententia est, Deus per immediatam Sacrificii Abelis inflammationem, beneplacitum suum in illo, sibi ex fide factò, testatus est: ita etiam posteris temporibus, cœlesti suo ἱμπερισμῶ omnia sibi in fide oblata Sacrificia, tam ante, quàm post diluvium, grata fuisse testabatur: videlicet Noachi, Gen. 8. 20, 21. Abrahami, Gen. 15. 17. Davidis, 1. Chron. 21. 26. Gedeonis, Jud. 6. 21. Salomonis, 2. Chron. 7. 1. Eliæ, 1. Reg. 18. 38. qui toto Populo, spectante & vidente, Sacrificia consumpsit. Ignem istum postea in altari, ne unquam amplius extingueretur, conservari jussit, & ignem alienum offerre prohibuit, Lev. 6. 2, 5. Hinc cum Nadab & Abihu, filii Aaronis, ignem alienum thuribulo suo imposuissent, exiens ignis à conspectu Jehovæ eos exanimavit, ut mortui sint coràm Jehova, Lev. 10. 1, 2.*

*Variæ de isthoc igne quæstiones moveri solent, curiosiores potiùs, quàm utiliores, quas præterimus. Ad rem præsentem scire sufficit: Quamvis ignis cœlitus in deserto in Aaronis Sacrificia immisus, lignorum adjectione nutritus, & holocaustorum crematione in Tabernaculo primùm, & Templo postea studiosè à Sacerdotibus fuerit custoditus & conservatus, nihilominus tamen Deum, eundem in casibus extraordinariis iterum & de novo, in Sanctorum suorum Sacrificia, in altari etiam ordinario non oblata, immisisse, velut, 1. Chron. 21. 16. 1. Reg. 18. 24, 38.*

*Ignis hujus è Cœlis emissi fama etiam ad Gentes percrebuit, qui illum propterea velut Deum coluerunt & adorârunt, nempe Medi, Persæ, Chaldæi, Græci & Romani. Reges Persarum Ignem, ut Numen, aræ argenteæ impositum, quæ in publicis processionibus ab equo candido, ante ipsos Reges, portabatur, adorârunt, & quando illi sacrificârunt, præbito alimento his allocuti sunt verbis: *ede, Domine ignis.* Et custodiendum illum tanquam arcanum & cœleste depositum, in Templi Vestæ penetralibus, sacris Virginitibus Vestalibus tradebant.*

*Sed redimus ad ignem nostrum sacrum verè ἱερωτικῶν, de quo quæritur: I. Utrum etiam fuerit in Templo secundo post captivitatem Babyloniam? quia in dedicatione illius Templi, quam Esra cap. 6. 16. describit,*

describit, nihil de ejus novo descensu, sicut antea in Tabernaculo Mosaico, & Templo Salomonico, legitur: nec etiam alibi quicquam in libris Canonicis de illo scriptum invenitur.

R. 1. *Ipsi Hebraei ambigunt de hoc sentiunt.* Brevitatis usque Lectorem remitto ad Clariss. Buxtorffii exercitationes Sacras in Sacro, Cap. 3. pag. m. 246. seqq.

2. Multi non infimi commatis Theologi in illa sunt sententia, etiam post captivitatem Babylonicam, in Templo secundo verum fuisse ignem Sacrificialem: etsi non fuerit, qui ante captivitatem, qui in Templo secundo haberi non potuit: novum tamen divinitus subministratum habuisse.

3. Hinc etiam tempore Christi in carne exhibiti, holocausta in Templo Hierosolymitano adhuc fuerunt concremata, & alia Sacrificia oblata, argumento locorum, Matth. c. 5. v. 23, 24. & cap. 8. v. 4. &c.

## II. Cur Deus non nisi igne caeleste Sacrificia comburi voluerit?

R. Ignis iste significare debuit iram Dei Patris caelestis adversus Christum in se recipientem & sustinentem peccata generis humani, Hebr. 13. 11, 12. *Quorum animalium sanguis infertur pro peccato in sacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra castra: quapropter & Jesus, ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est.* In his Sacrificiis, ad quae alludit Apostolus, sanguis mactatorum animalium inferebatur quidem in Sanctum Sanctorum, adeps vero comburebatur in altari ordinario: sed caro, & totum corpus animalis, efferebatur extra castra Israëlitica, vel postea extra portam Urbis Hierusalem, & ibi comburebatur, nec licebat sive Sacerdoti, sive Populo, ex hoc Sacrificio quicquam comedere. Per exustionem hanc extra portam nihil aliud intelligebatur, quam passio Christi extra portam: adeoque per ignem Sacrificialem, ira Dei contra nostra peccata in Christum conjecta, cujus furorem ipse sustinuit in cruce pendens.

4. *Sanguinis dispersio.* Quando hostia jugulata fuit, sanguis effusus super altare spargebatur: Sanguis nempe holocaustorum, Lev. 1. 5, 11, 15. Sanguis pacificorum, Lev. 3. 2, 8, 13. Sanguis Sacrificiorum pro peccato, Lev. 4. 5, 6, 7. Solebat etiam aliquid sanguinis inferri intra velum in Sanctum Sanctorum, Lev. 16. 14, 15. Exod. 24. 6, 7, 8. *Moses sanguine Sacrificiorum asperxit altare, Populum, & ut Beza ex circumstantiis colligit, etiam librum legis, seu federis, quem modò prelegerat Populo,*

Referimus ad formam Sacrificiorum etiam Locum, in quo fuerunt oblata, & Tempus, quando?

α. Locus in quo, est vel generalior, vel specialior.

a. Generalior. Adam, Noah, Abraham, &c. sacrificârunt ubi placuit, vel ubi singulare aliquod beneficium à Deo acceperunt. Abraham quatuor in locis aras excitavit, in Sichem, Gen. 12. 6, 7. inter Bethel & Ai, Gen. 12. 18. in Hebron, Gen. 13. 8. & in monte Moriah, Gen. 22. 9. Isaac in Bersaba, Gen. 26. v. 25, Jacob in Bethel, Gen. 35. 1, 7.

Israëlitæ ex servitute Ægyptiaca liberati, in deserto sacrificârunt, in terram verò Canaan introducti, *primùm in Silo*, Jos. 18. v. 1. 1. Sam. 1. v. 3. cui loco Bochim vicinus fuisse creditur, Judic. 2. 5. *Silunte*, propter abductam inde, in castra Israëlitarum, arcam, profanatâ, Siluntem nunquam est reversa, Deut. 12. v. 5, 6, 11. 12, 13, 14. præcepit Deus, ut Israëlitæ in terram Canaan introducti, *non nisi in illo loco Sacrificia offerrent Domino*, quàm quem elegerit, nempe, ubi erat *tabernaculum & arca*, adeoque non nisi in Templo, quod Tabernaculo successit.

*Tempore intermedio*, Templo Hierosolymitano nondum exstructo, *in locis excelsis*, Patriarcharum cultu olim celebribus, fideles, modò idololatria abfuerit, sine piaculo sacrificâsse legimus, 1. Sam. 9. 12. 1. Chron. 19. 39, 40. & 21. 29. &c. *Exstructo verò deinceps Templo*, quod *Domus Sacrificiorum*, 2. Chron. c. 7. v. 12. appellatur, *alibi sacrificari sine sacrilegio non poterat*, quippe in quo & Tabernaculum, haud dubiè complicatum, in rei prægressæ memoriam, & Arca, reposita fuit.

Hæc causa est, quòd *totis septuaginta annis*, captivitate Babylo-nicâ durante, Templo Hierosolymitano destructo, Populus Judæus præscripta Sacrificia offerre non poterat: nec jam inde ab excisa urbe & Templo, per integra sedecim, & quod excurrit, secula. Hierosolymam etiam, ad Templum restaurandum, non revertentur unquam, quia *abominatio desolationis præcisâ, effunditur in illud in perpetuum*, Dan. 9. 27.

b. Locus Sacrificiorum specialior, post Legem-latam, tum Tabernaculum fuit Mosaicum, & illi succedens Templum Salomonicum: Tum Altare: de quo utroque peculiari sermone differemus.

β. Tempus, quo Sacrificia offerenda erant, fuit vel *quotidianum*, manè & vesperi, quod Sacrificium jure dicebatur: vel *hebdomada*

hebdomadarium & Sabbatis peculiare: vel *menstruum*, tempore Novilunii. Vel *anniversarium* in festis solemnioribus, Paschatis, Pentecostes, festi Tabernaculorum, in exordio novi anni, & in die expiationis: vel in *recurrentibus certorum annorum intervallis*. Cui temporum & festorum Judaicorum considerationi peculiarem quoque meditationem destinavimus.

IV. *Finis institutorum à Deo Sacrificiorum*, fuit, ut fiant ad agnitionem humanae infirmitatis, & professionem aique celebrationem divinae Majestatis: Sunt enim tributa, quæ Deo tribuntur in recognitionem supremi ipsius dominii, & subjectionis hominis, adeoque

1. *Confessio peccati & reatus*. Quia ante lapsum peccatum non fuit, nullum etiam institutum fuit Sacrificium. Quando autem post lapsum, fuerunt instituta, animalia offerenda & mactanda homini substituta, velut boves, oves & capræ, &c. vitii alicujus significationem habent. Sic *Bos ignorantia* emblema est: quamvis enim præsepe Domini sui nōrit, Esaj. 1. 3. stupidum tamen in cæteris est animal. Sic *ovis*, aberrationis est symbolum, Esaj. 53. 6. *Capra & hædus*, petulantia & improbitatis, Matth. 25. 33. *Mactatio & combustio victimarum*, confessionem homini extorquebat, se dignum esse, qui aternâ morte periret, & divinæ justitiæ flammis æternum affligendus traderetur. Hinc Paulus de Sacrificiis illis, Hebr. 10. 3. ait, repeti per illa ἀνάμνησιν τῶν ἀμαρτιῶν.

2. *Signum promissionis divine gratiæ*, quâ fidei fidelium, remissio peccatorum, per aliud verum, perfectius, & efficacius Sacrificium propitiatorium, confirmabatur, nempe per Sacrificium mortis Christi, qui propositus nobis est in ἰλαστικόν Ἰησοῦς τοῦ πιστεύοντος ἐν τῷ αἵματι, Rom. 3. 25.

3. *Publica fidei professio*, quâ Deum non ritibus his externis placari crederent, sed victimâ venturi Messiaë, Hebr. 10. 1, 4. cujus crediderunt esse typos, tanquam victimæ illius unius & singularis, quæ erat passio & mors Christi, Esaj. 53. v. 3-7.

4. *Excitatio offerentium, & reliquorum, qui sacro cultui intererant, ad studium gratitudinis, sanctitatis & pietatis*, Psalm. 50. 14.

a. Non licebat Deo quicquam offerre nisi ex animalibus mundis, & vescis, ut discerent, religionem puram & immaculatam apud Deum & Patrem esse, se ipsum immaculatum servare à mundo, Jac. 1. 27.

b. Non licebat offerre, nisi quod integrum erat, & vitio carebat, Malach. 1. 13. ut discerent, Deum cor integrum & sincerum sibi ab offerentibus offerri velle, Proverb. 23. 26.

c. Per mactationem & concremationem victimarum, significabatur, Concupiscentiam malam, quæ Inferos ædificavit, & omnia peccata mactanda & concremanda, hoc est, per veram pœnitentiam in nihilum redigenda esse. Diximus, quid fuerint Sacrificia; sequitur

**II. Quotuplicia fuerint?** Primariæ illorum species fuerunt **נֶסֶךְ, מִנְחָה, זֶבַח** *victima, oblationes & libamina*, prout vel pecudes, vel fruges, vel olei, vel vini liquores Deo offerebantur, quorum illæ ad aram mactabantur: istæ sacro ritu templo inferebantur, & pars earum adolebatur: hi autem Sacrificiis affundebantur, atque in altari libabantur à Sacerdotibus, idque vel pro toto cœtu Populi, vel pro se ipsis, Hebr. 5. 3. vel pro personis peculiaribus, in Sacrificiis vel imperatis, vel voluntariis, vel votivis & eucharisticis. Quod pro populo offerebant, Populus dabat: quod pro se ipsis, de suo sumebant.

Singula ista Sacrificia dicebantur vel *Victims*: vel *Munera & Libamina*.

1. *Victima*, fuerunt Sacrificia vel *Piacularia & Propitiatoria*, vel *Pacifica & Salutaria*.

✱ *Propitiatoria & Piacularia* fuerunt vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*.

α. *Ordinaria* fuerunt vel *Holocausta*: vel *Sacrificia pro peccato*, aut *re. au.*

a. *Holocausta*, genus victimarum fuerunt antiquissimum: quippe quæ jam ante Legem, offerebant Abel, Gen. 4. v. 4. Noach, Gen. 8. 20. Abraham, Gen. 22. 13. &c. *Pacifica* verò *Sacrificia* ante legem Mosis latam, etiam in usu fuisse, probabiliter colligitur ex locis, Exod. 10. 25. & cap. 18. 12.

Holocaustum Hebræis **עֹלָה** dicitur à radice **עָלָה** *ascendit*, quòd aræ totum impositum, ibique igne dissolutum, maximâ ex parte sursum iret: quo ipso Abarbanel *mentis ad cœlestia ascensum adumbratum* iudicat.

Veteres ea obtulerunt in malis *deprecandis*, in bonis *petendis*, in gratia *commemoranda*, & in gratiis *agendis*, quod ex praxi Populi Judaicæ

Judaici satis evidenter apparet, unde ea non jussu tantum Legis, sed ex voto etiam, & spontanea voluntate offerebantur, exemplo Davidis, Psalm. 66. v. 13--15. Psalm. 50. v. 20--21.

*Lex holocausti* describitur, Levit. cap. 1. v. 3--17. Cap. 6. v. 2, 3. & cap. 7. vers. 8.

Quia holocausta, Levit. 14. v. 19. & 31. *lustrare seu purgare* dicuntur eos, à quibus offerebantur, Judæi certa quædam peccatorum genera, his expiari crediderunt, videlicet, *malas cogitationes, mala consilia*: peccata item contra leges jubentes, & illas prohibentes, quæ jubentibus fuerunt implicitæ.

b. Altera species Sacrificiorum ordinariorum propitiatorum, seu piacularium comprehendit *Sacrificia vel pro peccato, vel pro reatu.*

aa. *Sacrificia piacularia pro peccato (Sündensopfer.)* Horum lex, Levit. Cap. 4. integro præscribitur. Et Cap. 10. v. 16--19. ubi hæc *observanda est differentia.* Quorundam Sacrificiorum horum pro peccato, sanguis in tentorium conventus inferebatur, ut illo velum Sanctuarii septies aspergeretur, & reliquum ad fundamentum altaris holocausti effunderetur: *quorundam autem sanguis in tentorium non inferebatur.* Illorum carnem comedere non licebat, quia tota cremanda erat. Horum adeps debebat adoleri, & caro in atrio tentorii comedi à Sacerdotibus, ut hæc ratione iniquitatem ferrent cætus, expiationem faciendo pro illis coram Jehova, Lev. cap. 10. v. 17, 18.

Peccata, pro quibus expiandis hoc Sacrificium Deo fuit oblatum, errores fuerunt per imprudentiam & ex infirmitate admissi. Sunt, qui peccata fuisse dicunt in Deum quidem patrata, sed ex quibus nullum homines acceperunt detrimentum. *Judæi peccata isthac ex quatuor conditionibus astimant, & illorum 43. numerant, in cogitatis admissa, piaculis definitis expianda, quorum nugis non immerabimur*: Si quem ista legere & scire delectat, illum ad Clarissimi Theologi Angli Guil. Outram lib. 1. de Sacrificiis Jud. cap. 12. pag. m. 125. seqq. remitto.

bb. *Sacrificia piacularia pro reatu, (Schuldopfer)* erant, quibus expiabantur peccata *scienter quidem, sed ex infirmitate commissa.* Reatus enim malitia est ex electione patrata. Hujus Sacrificii Lex

\* Convenit cum Lege Sacrificii pro peccato, & describitur, Lev. c. 5.

toto, Lev. c. 7. v. 1--7. ubi caro illa, quæ non comburebatur igne, & cujus sanguis non inferebatur in Sancta, comedenda erat in loco Sancto.

\*\* *Utrumque isthoc Sacrificium offerebatur pro expiando peccato: Illud, pro peccatis commissis per errorem, ignorantiam & inadvertentiam: Hoc autem pro illis etiam, quæ studio, datâ operâ & perversâ voluntate facta sunt, Lev. 5. 15, 20, 21, 22. Facile enim fieri potest, ut etiam regeniti non raro scienter & contra conscientiam peccent, quod peccatum gravius est, & majore expiatione opus habet.*

\*\* \* *Judæi duo hujus Sacrificii genera faciunt, alterum pro noxa dubia, alterum pro certa.*

a. *Victimam pro noxa dubia, illis imperatam fuisse dicunt, de quibus suspicio tantum fuerit, illos tale piaculum admisisse, quale, si compertum esset, ejusmodi victimam expiandum fuisset, & non aliter valuisse victimam pro reatu, seu noxa dubia, nisi ut suspenderet pœnam, donec culpa certò comperta esset.*

b. *Victimas pro noxa certa expiandas quinque statuerunt.*

1. *Nazirais inopinato funere inquinatis, Num. 6. 9--12.*

2. *Leprosi à Lepra purgatis, Levit. 14. 12.*

*Non video, quomodo lepra noxa & culpa fuerit: Culpæ potius pœna fuit.*

3. *Illis, qui servam Hebraam vitârunt, servo Hebræo desponsatam, Lev. 19. 20, 21. cui culpæ illam fecerunt affinem, si quis sceminam alienam in uxorem duxerit, Esræ 10. 19.*

4. *Illis, qui rem alienam sibi concreditam, aut inventam, aut vi ereptam, aut interversam, jurejurando abnegabant, Levit. 6. 2--6. quorum fuit rem quocunque modo interceptam, quintâ parte auctam, proprio Domino, aut eo mortuo ejus propinquis & heredibus, aut si deessent, Sacerdotibus reddere, Num. 5. 3--8.*

5. *Illis, qui Sacra inscii defraudabant, qui tamen victimam imperatâ, tum demum expiabantur, quando sacra Sacerdotibus quintâ parte auctiora reddiderunt.*

\*\* \* *Conveniebant quidem Sacrificia pro peccato & reatu in multis: sed differebant etiam in sequentibus,*

aa. *Quod sanguis victimarum pro peccato altarium cornibus, Levit. 4. 7. pro reatu verò ara lateribus erat aspergendus, Lev. 7. 2.*

bb. *Quod Sacrificia pro peccato, universo Judæorum populo imperata fuerunt: Sacra pro reatu, non nisi singulis reis.*

cc. Neutrum horum sacrificiorum, ex voto & voluntate, quod holocaustorum & sacrificiorum pacificorum proprium fuit, sed tantum Legis jussu, oblatum fuit.

β. Inter Sacrificia propitiatoria & piacularia, sed extraordinaria, in lata significatione sacrificia dicta, nonnulli ea referunt, quæ Domino nec ante aram, nec in mensa sacra in adyto exteriori posita, offerebantur, & tamen, ut peccata suo modo expiarent, à Domino præscripta fuerunt. Inter ista sacra piacularia referunt

a. *Avem pro purgandis leprosis*, in mactatæ sanguine tinctam, vivam dimissam. Lev. 14. v. 4--7.

b. *Vaccam quæ ad expiandum homicidium*, homicidâ ignorato, capite truncanda erat. Deut. 21. 3. seqq. quæ etsi in scriptura oblatio aut victima nusquam appellatur, verè tamen piaculum erat, & sensu quodam laxiore, sacrificium dici potest, præsertim, cum Sacerdotum opera illi adhibenda fuisset. Deut. 21. 5.

c. Nec multo aliter de vacca rufa judicandum est, cujus cineres ad lustrandos funestatos asservandi erant. Num. 19. tot. Quamvis enim extra Sanctuarium, imò extra Populi castra, vacca illa mactanda erat, eò magis tamen in sacrificiis censerî posse videtur, quia sanguis ejus septies versus Sanctuarium, Sacerdotis digito aspergendus erat. Num. 19. 4.

d. *Hircum illum emissarium*, qui peccata Populi, solenni expiationis die, in se coniecta, vivus in desertum asportabat, unde propriè quidem, non sacrificium; piaculum tamen dici potuit, & typus Christi, peccata nostra in se emundanda suspicientis.

e. Accensetur his sacrificium Zelotypiæ super uxorem de adulterio suspectam, Num. 5. 10. seqq. quod maritus ex Zelotypiæ fundamento offerebat, eventus ignarus. Nam per hoc sacrificium adulterium latens nec patefactum fuit, nec expiatum. Prodebat verò illud aqua amara, à Sacerdote mulieri, ut eam biberet, cum maledictione, si rea sit, exhibita, & cum benedictione, si insons, quam potam mirabilis sequebatur effectus. v. 18. seqq. Nec dubium est, plures maritos Zelotypos per hoc sacrificium à temeraria suspicione fuisse prohibitos, & per graves aquæ amaræ effectus, plurimarum mulierum pudicitiam conservatam.

2. SACRIFICIA pacifica & salutaria. Hebr. שְׁלָמִים à שָׁלַם dicuntur. Significat autem שָׁלַם vel retribuere, vel pascere sibi. Pax autem in S. literis, vel mutuam amicorum concordiam, vel

vel prosperitatem designare solet. Hinc, qui sacrificia ista à retri-  
buendo *קָדְשׁ* dicta volunt, ajunt, ex hoc sacrorum genere,  
Deum, offerentes, & Sacerdotes, suam quemque partem habuisse. Qui  
à pace & concordia Sacrificia pacifica dicta volunt, symbola ea  
constituunt inter Deum, Sacerdotes & offerentes, quibus omni-  
bus ex hoc genere sacrificiorum, portio aliqua data sit: *Sanguis &*  
*exta Deo: pectusculum, armus, maxilla, sub qua etiam lingua intelligitur*  
Deut. 18. 3. *Sacerdotibus, reliqua caro & pellis offerentibus.* Alii dicunt,  
Sacrificia pacifica & salutaria dicta fuisse, quia semper in & de rebus  
prosperis impetratis, aut impetrandis, fieri solita fuissent: & ca-  
ro illarum ab offerentibus ad sacras epulas adhibita.

Sacrificiorum Pacificorum tres fuerunt species. 1. *Sacrificium vo-*  
*luntarium.* 2. *Votivum, utrumq; pro rebus prosperis impetrandis.* & 3. *Euchari-*  
*sticum, pro impetratis.*

Et si tam votiva, quàm voluntaria, pro rebus prosperis im-  
petrandis fierent, alia tamen votivi, alia voluntarii ratio fuit.

*Votiva nuncuparunt,* qui in aliquo periculo versabantur,  
velut Jephtha Jud. 11. 30, 31. Absolon, 2. Sam. 15. 7, 8. David, Psalm.  
c. 56. v. 12.

*Voluntaria,* ab illis sæpè facta sunt, quibus nulla pericu-  
la imminebant.

*Eucharistica,* pro impetratis beneficiis ab his fieri solebant,  
vel qui periculis gravioribus liberari erát, vel magnis beneficiis affe-  
cti, exemplo Davidis, Ps. 116. 11, 16, 17. Hiskiaë, 2. Chr. 29. 29, 30. Ma-  
nassis, 2. Chron. 33. 16.

Ad Sacrificia Eucharistica referuntur etiam Sacrificia Nazæorum  
Num. 6. v. 17. festiva item latifica Deut. 16. v. 2, 10, 11, 12. Sacrificia facta  
primogenito facta, Exod. 13. 15. Num. 3. 13. & decimando lecta, Lev. 27.  
v. 32. Decimæ enim ex grege & armento Deo reddendæ erant, ut  
sacra quædam eucharistica, pro omnibus illis vitæ commodis, quæ  
quisque ex pecore suo percipiebat. *Hæc tamen Lex ad tribum Leviticam*  
*non pertinet,* cujus mares omnes sacris in perpetuum addicti fuerunt.

Nec hoc prætereundum est: in Sacrificiis Eucharisticis, Deo non  
tantùm animalia oblata fuisse ad sacrificandum idonea, sed alia  
etiam munera, qualia Exod. 35. 5. seqq. ad structuram Tabernaculi  
afferebantur, & offerebantur, nempe aurum, argentum, æs, hya-  
cinthina & purpurea, &c. quomodo cujuscunque animus movit  
illum ad afferendam oblationem Jehovahæ,

II. Accedimus ad alteram Sacrificiorum speciem, *Munera & Libamina* (Speisopfer und Trankopfer) quæ, sicut jam supra diximus, pag. 533. ex aridis & liquidis constabant, ex simila, pane, sale, oleo & vino, Lev. 2. tot. Cap. 6. 7--12. & Cap. 7. vers. 9, 10.

Ad munera hæc oblatoria referendus etiam est

1. *Manipulus primitiarum*, adducendus ut agicaretur coram Jehova à Sacerdote, Lev. 23. 10. seqq. Nulli enim panem è frumento novo, aut novam frugem gustare atque edere licebat, usque dum oblatio manipuli facta esset.

2. *Panis oblationis non fermentatus*, quinquaginta dies post oblatum primitiarum manipulum offerendus, Levitic. cap. 23. vers. 15. seqq.

3. *Suffitus sacer*, Deo ritè adolendus, ex variis aromatis confectus, semel quotannis in sacrario intimo, & bis quotidiè in exteriori, manè & vesperi incensus, Exod. 30. 7, 8.

Quando semel quotannis Pontifex Maximus in die expiationis suffitum in Sancto Sanctorum adolevit, Populum his verbis Deo commendasse dicunt: *Placeat Tibi, Domine Deus, ut si hic annus calidus fuerit, idem quoque sit pluviosus. Ut ne discedat sceptrum à familia Juda, nec victu careat Populus tuus Israëliticus: irritaq; ut sint impiorum preces.*

III. *Quis usus Sacrificiorum fuerit in Veteri Testamento? & quem adhuc habeant in Novo?*

A. *Usus Sacrificiorum in Veteri Testam.*

multus fuit, atque magnus.

1. Inceperunt Sacrificia in Veteri Testamento non nisi cum promisso Messia: oblata Deo vero non nisi ab illis, ex quorum Posteris Messias oriundus erat, Adamo, Noacho, Abrahamo, Isaaco, Jacobo: non nisi in illa regione & loco, in quo Christus exhibitus erat passurus, & semetipsum Patri pro peccatis generis humani hostiam oblaturus: & non nisi ad tempora Messiae, non ultra, duratura, post cujus adventum abolita, restitui nunquam possunt, ex quibus utique apparet, *primarium in Sacrificiis Veteris Testamenti fuisse, Messiam intento digito monstrare*, ac proinde usum illorum fuisse longè maximum.

Externa quidem Sacrificia, maximè post præscriptas à Deo, per Mosen, varias illorum species & ceremonias, in Vet. Test. fuerunt

1. jugum fidelium. 2. ad Salvandum infirma. Et tamen 3. illorum utilitas longè maxima.

*a. Jugum importabile fuerunt Sacrificia Veteris Testamenti, Actor. cap. 15. vers. 10.*

*a. Propter illorum multitudinem, & continuatam quotidianam repetitionem, usque ad tempora Messiae. Deus enim Sacrificia semel præcepta, publicè semper à tota Populi Universalitate sibi offerri voluit, & privatim etiam à singulis. Hinc Sacrificium jure, quo duæ oves singulis diebus, una manè, altera vesperi, in omnes generationes filiorum Israël, cum munere & libamine offerendæ erant, Exod. 29. v. 38. seqq. singulis item festis & profestis, Num. 28. & 29. capp. Sacrificium Puerperarum. Lev. 12. 6, 7. Leproforum purificandorum, Levit. 14. 10--12. Naziræorum, Num. 6. v. 13, 14. Pro peccato vel Sacerdotis, vel totius cœtus, vel Principis, vel alicujus privati, Lev. 4. tot. Pro reatu, Levit. 5. tot. & 19. 20. Pro contactu rei immundæ, aut temerarii juramenti, Levit. 5. v. 1--5. Holocausta item & Sacrificia pacifica sive sponte, sive ex voto, sive ad faciendam confessionem peccati commissi, sive ad Deum propter accepta beneficia laudandum.*

*b. Propter maximos labores & ingentes sumptus in Sacrificia illa impensos. Quando enim pecudes, oves, boves, capras, &c. maximis molestiis & sumptibus educarunt, pecora illa sacrificialia ex locis longinquis adducere, & mastrandæ atque comburendæ tradere debuerunt, qui sacrificandi mos ab Adamo ad Christum, per annos plus minùs 4000. duravit, & à Mose ad Christum circiter annos 1700. Quot isthoc tempore fuerunt Sabbata, quot Novilunia? quot alia festa & feriæ? Quod si jam sacrificialium pecudum numerus computetur, quanta hæc summa erit? Singulis diebus duo offerebantur agni: quolibet Sabbatho, præter ordinarios duos, duo alii: quolibet Novilunio duo juveni, aries unus, agni anniculi septem, & hircus caprarum: in quolibet Paschate, per singulos dies septem, duo juveni, aries unus, septem agni anniculi, & hircus: in quibuslibet feriis Pentecostalibus ferè totidem, & festo etiam Tabernaculorum. Omitto nunc Sacrificia sponte, aut ex voto oblata: Sacrificia pro peccato & reatu: Sacrificia in dedicationibus & consecrationibus: Sacrificia de primogenitis boum, ovium & caprarum Deo mastrandis: Sacrificia in dedicatione Templi Salomonis, 1. Reg. c. 8. v. 63. O ingentem pecorum numerum,*

vel

vel mille tantum annis mactatorum ! ô immensam ferè pecuniarum, si mactata pecora æstimentur, summam ! Cur Deus non maluit tantum pecorum numerum hominum usibus indulgere, quàm cremari, maximè cum victimis non semper delectetur ? Certè hæc omnia arguunt, singulare quid per hoc victimarum spectaculum, totius Mundi oculis atq; animis representare, atq; inculcare voluisse.

β. *Sacrificia Veteris Testamenti ad salvandum fuerunt infirma*, Hebr. 9. 9. Cap. 10. 11. & Cap. 7. 18. quo postremo loco dicuntur abrogata *διὰ τὴν ἀδρανείαν τοῦ αἵματος*, propter infirmitatem & inutilitatem: Sensus est: Totam Legem Ceremonialem, & omnia Sacrificia Levitica, non posse hominem perfectum, Deo acceptum & salvum facere, sed fungi tantum officio Pædagogi ducentis ad meliorem illam spem, seu fiduciam in Christo, quem cum salutari suo merito repræsentabant.

γ. Et si jugum intolerabile fuerint Sacrificia Veterum, & infirma atque inutilia in se, absque respectu ad unicum Christi Sacrificium, quod solum perfectè servare potest omnes, qui per eum veniunt ad Deum, Hebr. 7. v. 25. *utilissima tamen fuerunt Populo Veteri propter sequentes rationes.*

1. *Quia Israëlẽm, peculiarem Dei Populum, ab omnibus aliis nationibus separârunt*, sicut fide & doctrinâ, ita etiam externo cultu & moribus. Etiam Gentiles sacrificârunt, sed fectis suis Diis, & ipsis Diabolis, 1. Cor. 10. 20. Vide Clariss. Stuk. de Sacris & Sacrificiis Gentilium. Sed Judæi soli vero, æterno & viventi Deo, qui, multiplici illa Sacrificiorum varietate, Christi plenitudinem, quam unum tantum aut alterum Sacrificium, una tantum aut altera figura satis repræsentare non poterat, exprimere voluit, atque ita simul Sacrificiorum imperfectionem testari, quæ cum singula, peccatum non nisi typicè & Sacramentaliter expiare possent, tanto numero offerri, variari, & semper repeti debuerunt.

2. *Quia per illa verus, cui offerebantur, Deus, tanquam rerum omnium Conditor, Conservator atque Governator agnosci & cultu atque honore sibi placente honorari voluit, idque*

a. *Animo ex delicti conscientia pœnitente & humiliato, quò sic Deum sibi placatum & propitium redderet, qui sacrificabat.*

b. *Fide & spe in Messiam venturum, qui unus & solus digno corporis sui Sacrificio, generis humani peccata expiaret, & illud Deo reconciliaret.*

3. Quia pignora fuerunt & Symbola melioris Sacrificii, pro quo ad tempus usque correctionis, illa fuerunt substituta, Hebr. 9. & 10. capp.

Per hæc pignora & symbola, tota doctrina de Messia, Veteri Populo in typis fuit adumbrata, qui, vera pro peccatis oblata victima, in perpetuum eas consecravit, qui sanctificantur, Hebr. cap. 10. vers. 12, 14. Heic verò

Quæritur: An omnes Israëlita, quid sibi Sacrificia vellent, intellexerint? adeoque an in illis Christum venturum intuiti sint?

R. 1. Non est dubium, multos inter illos fuisse carnales, rudes, impios, securos, & ad res sacras minùs attentos, qui, quid sub his Sacrificiorum umbris lateret, nunquam scrutati sunt: sed putarunt ad peccatorum suorum expiationem sufficere, Sacrificia à Deo præscripta offerre, quorum sanguinis fusione, & carnis concrematione facile placari possit Deus. His verò cultus iste sacer obfuit, non profuit, Esaj. 42. 19--21. Expiabant Sacrificia fidelium peccata, non quâ opus operatum, sed quâ symbola unici Sacrificii Christi, Rom. 3. 25.

2. Hinc plurimi inter Veteres fuerunt à Spiritu Sancto, pro ratione illorum temporum, illuminati, regenerati, & de æterna animæ salute solliciti, qui primæ promissionis Evangelicæ Adamo, Gen. 3. 15. factæ, & Abrahamo, Isaaco & Jacobo repetitæ, memores, futurum Mundi Messiam pro se passurum, in Sacrificiis istis contemplati sunt, accedentibus maximè clarioribus Prophetarum vaticiniis, quale præ cæteris fuit illud, Esaj. cap. 53. tot. Confer I. Petr. cap. I. v. 11. Act. 10. 43. Cap. 26. v. 22, 23. & c. 28. v. 23.

Agnosimus tamen, quemadmodum, qui noctu ad lucernas legunt & laborant, non omnia tam exactè videre possunt, sicut illi, qui post exortum fulgidum Solis splendorem, ita, quæ de Messie nativitate, Persona, officio, doctrina, miraculis, passione, morte & resurrectione in Scriptura V. T. prædicta, & per cultum ceremoniale præfigurata fuerunt, nos in N. T. clariùs perspicere & meliùs intelligere, quàm fideles Veteris Testamenti. Verum interim manet illud Petri, Act. 15. 11. per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum illi servati sunt: ubi manifestè eandem fidem fidelibus V. T. in Christum exhibendum tribuit, quam nobis in exhibitum, sicquæ utrisque eandem gratiam & salutem. Confer Hebr. caput II. totum.

II. Sacrificia V. T. Populo Israëlita externam conferebant puritatem

carnis, quando nempe symbola, à re separata, seorsim considerantur, Hebr. 9. 13. ut in externo cultu Deum adire, & in sanctuario ipsius versari possent. Sed externa collata puritas, *typica erat puritatis per Christum* fidelibus acquisitæ & collatæ, Hebr. 9. 13, 14.

Sacrificia igitur quotidie oblata, *fidelibus V. T. veram & Deo dignam inculcabant victimam, tot Sacrificiorum sanguine adumbratam*, qui potissimus illorum *usus mysticus & significativus* fuit, respectu Christi, respectu Sacerdotum & respectu fidelium.

α. *Respectu Christi*, Sacrificia vetera denotabant expiationis ab illo præstandæ *necessitatem & veritatem*.

a. *Necessitatem*, quia in omni Sacrificio peccati commemoratio fiebat, Hebr. 10. 3. & pœna ejus, in vicario victimarum sanguine, exigebatur, illo ipso ipsius peccatoris merita mors significabatur: quisquis Sacrificium obtulit, ipso oblationis actu, reum publicè sese confessus est, & peccatum suum pecudis morte, tanquam chirographo, signavit, Levit. cap. 10. vers. 17. & c. 17. v. 11. Col. cap. 2. vers. 14.

b. *Veritatem*, quia quicquid in & cum Sacrificiis agebatur, id omne exactissimè Christi Sacrificio respondebat, & omni ejus mysterio serviebat.

β. *Respectu Sacerdotum*, qui

aa. *Sacra apud Deum in Sanctuario pro Populo agentes, Christum Sponsorem, & causæ fidelium apud Deum susceptorem, repræsentabant*, Hebr. 10. 9, 10. c. 7. 22.

bb. *Victimas offerebant, & illis in piaculari sacro, singulari cum ritu, peccata populi imponebant*, Levit. c. 16. v. 21, 22. in typo, quodd Deus omnia nostra peccata in Christum incurvere fecerit, Esaj. cap. 53. vers. 6. qui illa in corpore suo super lignum perulit, 1. Pet. cap. 2. vers. 24.

*Animalium offerendorum adductio ad Sacerdotes & altare, illorum mactatio, sanguinis effusio, & extorum in ara inflammatio, passionem Christi, & omnes ejus modos præfigurabant*, de quibus clariùs Prophetæ Psalm. 22. Esaj. cap. 53. Zach. cap. 9. vers. 11. cap. 12. v. 10. & 13. 1, 2. vaticinabantur.

*Expiatio per sanguinem animalium, non realis*, Hebr. cap. 10. v. 4, 11. *sed merè typica fuit*: pretiosior enim sanguis requirebatur, quo purgaretur, Pl. 51. v. 9. quam sapientiam Deus in occulto, hoc est, in variis figuris & vaticiniis, fidelibus suis manifestavit, Pl. 51. 8.

*In sacris epulis, de victimarum carnibus Sacerdotes comedebant, & in Eucharisticis etiam populus, qui offerebat: quo docebantur fideles,*

\* *Sacerdotem de victima, cui peccata imponebantur, comedentem, unum cum illa fieri, & ceteris iniquitatem ferre, Levit. II. v. 17. Hoc verò in Sacerdote non nisi typicè; in Messia verò realiter locum habere.*

\*\* *Omnes fideles cum victima oblata uniri, & cum primis de verè expiatorio Sacrificio olim offerendo, per fidem participare.*  
*y. Fidelium respectu, cultus ille externus ad verum, spirituales & internum, manu eos ducebat, quo frequenter adumbrabatur, ut offerrent Sacrificia iustitia, Pl. 4. 6. ut orationes suas velut suffurum coràm Deo, & velut munus vespertinum, disponerent, Pl. 141. v. 2. ut tauros laborum offerrent, Hof. c. 14. v. 3. Confer Pl. 50. v. 14, 23. Hof. c. 6. v. 6.*

### III. Discere debent Fideles Veteris Testamenti

1. *Omnem Sacrificiorum vim, non circa homines, sed circa Deum primò & propriè versari.*

2. *Victimis piacularibus irrogatam mortem non nisi vicariam fuisse.*

\* *Omnis Sacrificiorum vis, propriè circa Deum versabatur. Duo sunt obedientia ritè præstandæ genera, alterum circa Deum, alterum circa homines.*

*Que homines ex præcepto Dei ritè faciunt, & ritè immolant, illorum Sacrificiorum vis, perinde ut precum Sacrarum, circa Deum versatur, atque ita etiam vis Sacrificii Christi. Sacrificia Vetera Deo offerebantur, nec tamen tanta illorum vis fuit, ut gratiam Dei per se impetrarent, sed propter aliud, Sacrificium, nempe Christi.*

*Fideles V. T. in Tabernaculo primùm, postea in Templo, & in terra exilii versùs Templum, Dan. 6. 10. precabantur: id, quod singularem quandam Dei præsentiam in Templo fuisse indicat. Omnis itaque precum & Sacrificiorum cultus, in Templo & ejus Sanctuario peractus ab hominibus, vim suam circa Deum habuit, id, quod præterea claret*

a. *Ex munere Sacerdotali: quia Sacerdos ex hominibus constitutus fuit in iis, quæ apud Deum agenda erant: propterea vel oraturi, vel Sacrificia oblaturi, ad Deum appropinquabant, Lev. c. 10. v. 3. & cap. 21. v. 21. Ezech. 40. 41. Sacrificia igitur & preces sacræ à Sacerdotibus adhibitæ, circa Deum propriè versabantur; quo ipso Sacerdotes à Prophetis & Apostolis differ-*  
*bant,*

bant, quoddam Prophetæ & Apostoli res Dei apud homines agebant, 2. Cor. cap. 5. vers. 20. Sacerdotes autem res hominum apud Deum, Hebr. c. 5. v. 1.

b. Ex victimarum delectu, quæ ex ipso Dei præcepto non nisi ex talibus animalibus offerri debebant, quibus vesci licuit, & quæ nec vitiosa aut mutila fuerunt, sed integra: Sicque ad Dei gratiam vel commemorandam, vel conciliandam, vel retinendam, idonea fuerunt.

c. Quod Deus alia Sacrificia accepit, alia non, Lev. cap. 22. v. 21. Malach. c. 1. 8, 10, 13. quod de Deo dici non potuisset, nisi tota Sacrificiorum ratio ad Deum referenda esset. Atque ita omnis Religio & cultus, omnesque preces circa Deum versantur, qui rerum omnium est conditor, bonorum omnium largitor, & qui denique summum vel veniæ, vel pœnæ jus habet.

Agnoverunt hoc Judæi. Hinc Abarbanel in Præfat. ad Lev. scribit: *Nostrates Sacrificia salutaria eo animo faciunt, ut Deo pro summa clementia, maxima ejus in se benevolentia, & omnibus denique beneficiis, gratias agerent.* Idem ad Levit. cap. 16. *Holocausta quotidiana rationem habuerunt sacrarum precum, idcirco Deo adhibitarum, ut clementia sua erga Israël manè & vesperi meminisse vellet, ut augeter illi frumentum, mustum, oleumq.*

Gentium profanarum de suis Sacrificiis idem fuit iudicium, hinc Porphyrius lib. 2. de abstinentia §. 24. *Tribus de causis, Diis sacrificandum est, vel, ut eos honore afficiamus, vel ut gratum erga eos talem animus, vel ut bona ab iis impetremus.* Sacrificantium preces ad Deos suos, passim in illorum scriptis leguntur.

De Christianis non est opus, ut, in re perspicua, testes adducam, qui nunquam, nisi uni & soli Deo, sine summo cultûs extranei scelere, sacrificatum esse existimant. *Quæ externorum Sacrificiorum ratio fuit, ea cum primis etiam Sacrificii Christi, omnium reliquorum antitypi fuit.* Deo hoc oblatum est pro nobis, ut peccatorum nostrorum veniam, non in figura, sed ipso actu nobis impetraret.

3. Discere debuerunt fideles V. T. *pœnam sive mortem, vicissimis particularibus irrogatam, non nisi vicariam fuisse.*

Pœna vicaria malum est quodvis, alteri ad culpam alterius expiandam inflictum, quod reo peccati veniam affert, & eundem à pœna liberat.

Hujus duo sunt genera:

I. Cum

1. *Cum idem pœna genus, quod reus meruit, vicario irrogatur, velut, si quis morti se objiciat, ut alterum ab illa liberet.*

2. *Cum aliud pœna genus vicario irrogatur, quam quod reus meruit, velut, si quis in exilium eat, ut alterum redimat è servitute. In altero horum pœnæ vicariæ genere, commutatio est Personarum tantum: in altero autem personarum & pœnarum.*

Pœna vicaria hostiis propitiatoriis inflicta, ad hominum peccata expianda, pertinet, tanquam conditio Lege Dei præscripta, sine qua peccata remittere noluit, ne magnam fortè indulgentiam, magna peccandi sequeretur licentia: Hinc peccata graviora, ipsius rei: leviora verò victimæ sanguine, expiari voluit, & hoc pacto illorum à se impetrari veniam. Sacra itaque piacularia, ejusmodi veniæ impetrandæ conditionem continuerunt, quæ Dei justitiæ, sanctitatis, & conceptæ adversus peccata iræ, satis aptam præbebat speciem, & ad excitandam, tuendamque, legum inter Judæos reverentiam, non incommodè pertinebat.

Peccata nondum expiata, Judæi considerare debebant, tanquam sædam maculam, quæ reos turpiter inquinabat. Eorundem verò expiationem, tanquam abluionem & purgationem: Conjectionem item tum in hircum emissarium, Lev. 16. 21. tum in mactatum, cujus sanguis in Sanctuarium inferebatur. Lev. 16. v. 15. *En pœnam vicariam!* Hircus alter, peccata Populi in caput suum coniecta, in expiationis ritè factæ, & veniæ impetratæ speciem, quasi nunquam posthac in Dei conspectum reditura, in deserta vivus asportavit: alter mactatus, peccata fontium, in se translata, sanguine suo expiavit. Hic usus fuit Sacrificiorum Judaicorum, ad quem attendere debuerunt Judæi, & cum primis pœnam illam vicariam, omni cæcæ victimæ illatam, in figura observare, quam verè tandem venturus Messias, cujus passio & mors plus apud Deum ad generis humani redemptionem, quam omnia Sacrificia Judaica sint valitura, in se sit suscepturus, & peccata ipso actu, verè & realiter expiaturus.

Quod pœnam istam vicariam ipsi Judæi intelligant & agnoscant, ex ipsorum scriptis facile apparet.

R. Levi Ben Gerson in locum Exod. 29. 10. *Imponentq; Aaron & Filii ejus manus super Caput juveni, ita commentatur. Impositio hac manuum ambarum erat, eoq; spectabat, ut hinc intelligeretur, removeri ab iis peccata ipsorum, & ad hoc animal quodammodo transferri. Hinc eorum preces:*

preces: *Hæc victima sit expiatio mea.* Item: *Quod ego ipse malum merui, id in victima mea caput recidat.* Censent etiam, *victima cæsa animam, fontis anima vice datam esse; alteramque alterius λυτρον ἀντὶ λυτρον & redemptionem vocant.* Quò spectat solemnis ista juxta victimas piaculares, precatio: *Obsecro Domine, peccavi, rebellis fui, perversè egi, hoc & istud feci; nunc autem me peccasse pœniter: Hæc sit itaq, expiatio mea.* Hinc memorabilis est sententia R. Mosis, Ben Nachman de reo victimam offerente. *Equum erat, ut sanguis suus funderetur, & ut cremaretur corpus suum.* Creator autem, pro clementia sua, hanc ab eo accepit victimam, ut rem vicariam & λυτρον ejus, ut hujus sanguis, sanguinis ejus vice, profunderetur, anima scilicet vice anima. Et Isaacus Ben Arama: *Reus, cum victimam de peccato suo immolatam mactari, pelle exui, dissecari, igneq, ara comburi videt, secum ipse cogitare debet, ita secum agi, & ita se tractari oportuisse, nisi Deus, pro misericordia sua, pro anima ejus piaculum accepisset.*

Utique pœnam vicariam sustinuerunt animalia immolata, & expiârunt suo modo peccata, verùm non nisi sacramentaliter & typicè, quod optimè intellexerunt fideles, & veram peccatorum suorum expiationem, hoc sacrificiorum sacramento sibi confirmatam, in Christo Servatore exhibendo, per fidem obtinuerunt. Typis enim istis, illis adumbratum fuit, *Deum inde à prima Evangelii in Paradiso annuntiatione, sponsioni filii sui, Domini nostri Jesu Christi, de satisfactione pro peccatis, quâ illa verè expiantur, in plenitudine temporis præstanda, acquievissè: quo sensu Paulus Hebr. c. 9. v. 13, 14. testatur, Sanguinem Christi sanctificabat ad puritatem carnis, quia hæc illius præfiguratio, & suppositâ offerentium fide, obsignatio erat.*

III. Quando Judæi Sacrificia Deo obtulerunt, convivia & epulas sacras, ex Dei jussu, etiam instituerunt, ad mutuam Dei hominumq, communionem, & fidelium etiam inter se societatem designandam. Instituerunt autem illa ex donis & sacrificiis oblati, quæ igne non in solidum cremabantur, quod in sacrificiis pacificis & eucharisticis Levit. 7. v. 12, 13. fieri solèbat. Holocausta consumebantur in totum, ut nemo de illis comederit. De hilasticis comedebat Sacerdos pectusculum, armum dextrum & maxillam cum lingua. De reliquis carnibus non crematis, aut Sacerdoti datis, sacrificiis item primitiarum, decimarum, primogenitorum, voluntariis & votivis, quilibet privatus. Deut. 12. v. 6, 7.

*Convivia ista Deus Populo suo non permisit tantùm, sed præcepit e-*

tiam, Deut. c. 12. v. 11, 12. Cap. 27. 12. Et, quia non semper ad ea comedenda is, qui illa obtulit, cum suis sufficiebat, solebant etiam vicini & amici ad epulas illas invitari, ut lætarentur coram Domino cum gratiarum actione, & pauperum non obliviscerentur. Deut. 14. 29. & c. 16. 11.

*Convivia ista jam in usu fuerunt ante Legem latam, exemplo Jacobi Patriarchæ Gen. 31. 54. & Jethronis Exod. 18. 12. Post legem latam, exempla passim occurrunt. 1. Sam. 1. v. 4, 5. Cap. 9. 13. Cap. 16. 5, 12. 1. Reg. 3. 15. 1. Chron. 16. 3. & Cap. 29. v. 21, 22. Quis dicere prohibebit, ipsa sacrificia, epulas quasdam sacras fuisse, in quibus animalium carnes, sanguinem & fruges in altari atque mensa sua, sibi Deus offerri voluit, non, quod his indigeret, sed ut ostenderet, se quasi communem cum Populo suo habere mensam, esse convivam illius perpetuum, familiariter cum ipso habitare, & illius consuetudine atque officiis delectari, siquidem animo integro & fideli, ad futurum Messiae Sacrificium verè propitiatorium attento, Sacrificia sibi attulerit: vicissim etiam illis se velle benefacere, à quibus tam piè & amanter, ad communem mensam invitetur. Atque hinc altare & mensa, in qua sacrificia & munera offerebantur, Domini mensa, panis & cibus, appellantur, Malach. 1. 5, 7, 12.*

*Instituebantur autem convivia illa sacrificialia, alia à populo, de quibus jam dixi, alia ab ipsis sacerdotibus: quia enim sacrificia, quæ pro peccatis privatorum offerebantur, tota Sacerdotibus cedebant, & ex aliis partes quædam, Sacerdotes illis in ipso sacrificii die simul vesciebantur. Heic verò Filii Heli graviter peccaverunt, qui, portionibus lege divinâ præscriptis non contenti, ea accipiebant, quæ animi libido dictavit, & partem quidem illam præripiebant, antequam adeps adoleretur.*

*Quemadmodum sacrificia in loco sacro, à Domino ad hoc destinato, offerenda erant, ita quoque convivia illa, non alibi celebranda erant, quàm coram Jehova in Tabernaculo, sive Templo. Deut. 12. v. 5, 7.*

*Admonebatur autem Populus his conviviis de summo Dei erga se amore, quod nullum ab homine officium exigat, cujus fructus non iterum in illum ipsum redundet: velle item se cum federatis & adoptatis suis, omnia habere communia.*

*Quod peculiare ex sacrificiis partes denominantur, quas Deus sacerdotibus porrigi voluit, in eo satis elegantem allegoriam Origenes quæsit*

vit, quam dignam esse puto, quæ heic inferatur: *Pectusculum*, ait, ex Sacrificiis Sacerdoti dabatur. In *pectusculo* sedes est cordis, quo significabatur Sacerdotum sapientia: *Maxilla & lingua* ipsis exhibebatur, quo significabatur, oportere illos recta & sana loqui, *populumq;* vera & uilia docere: *Armus dexter* ipsis porrigebatur, qui manus quadam est *victima*, ut bene agerent, & sanctè viverent, *coq;* doctrina sue salutarem conciliarent *authoritatem*.

Ad convivia redeo *sacrificialia*, & moneo, illa apud *Gentiles* que in usu fuisse, apud quos nullum ferè sacrificium sine aliquo fiebat epulo: & nullum penè epulum etiam profanum, publicum præsertim, sine sacris quibusdam ritibus. Deut. 32. 28. Psalm. 106. v. 20. Totum Conviviorum illorum *sacrificialium gentilium* apparatus Clariss. Stukius l. de Sacris & Sacrificiis Gentilibus pag. m. 145. b. & 146. describit, quo Benevolum Lectorem remitto.

#### V. Observare debebant Judæi

α. Deum non delectari sacrificiis externis, tanquam opere operato, sine fide nimirum, & pietate. Esaj. 1. 11. Cap. 66. 3. Amos. 5. v. 21, 22. Psalm. 50. v. 8--12. Psal. 51. 18. Non delectabatur scilicet sacrificiis, quando non in fide offerebantur, adeoque sine respectu Messiae, cujus perfectissimum sacrificium præfigurabant. Non tam delectabatur Deus millibus arietum, quàm exercitio juris, amore benignitatis, & studio pietatis atq; humanitatis. Mich. c. 6. v. 6--8. Sacrificia justitiæ nunquam spernit Psalm. 4. 6. nec cor contritum Psal. 51. 19. nec dilectionem Proximi & misericordiam. Hof. 6. 6. Cum primis verò sacrificium Filii sui, qui se per Spiritum suum æternum inculpatum ipsi obtulit. Hebr. 9. 14. odor ipsi est bona fragrantia. Eph. 5. 2.

β. Sacrificia tandem expiratura & plenè abroganda esse, tempore correctionis Hebr. 9. 10. quo nemo arcæ federis amplius recordabitur. Jerem. 3. 16. cum qua sacrificia etiam tollenda erant, quorum sanguis ante propitiatorium, hoc est, operculum arcæ spargi solebat. Vide de abrogatione Legis Ceremon. in genere suprâ Conc. 1. pag. 165.

#### B. Usus sacrificiorum in N. T.

Sacrificia Vet. Test. actu ipso in Nov. Test. sunt sublata & abrogata: Sed typica illorum significatio in Christo impleta, usum in Nov. Test. præbet longè maximum, circa quem observandum est,

1. Sacrificia Vet. Testam. respectu rituum & ceremoniarum, pertinere quidem ad Legem ceremonialem: respectu verò nuclei, significationis & fructuum suorum, ad Evangelium, quod doctrinam

significat post lapsum revelatam de Mediatore Christo pro peccatis nostris satisfactorio, & per sacrificia instituta adumbrando. Hinc ante primam promissionem Evangelicam, sacrificia nulla fuerunt instituta, sed demùm post illam, & ideò quidem instituta, ut sacrificii, passionis & mortis Christi, pro aliis subeundæ, typi & figuræ essent. Sacrificia ergò sunt Evangelium ceremoniale & typicum, externis suis ritibus id omne repræsentans, quod verbis apertis, doctrina Evangelica de Christo proponit.

II. *Sacrificia V. T. typos Christi fuisse, & Sacrificii ejus, quo se ipsum Deo Patri pro nobis obrulit. Docet hoc Apostolus, Heb. 10. v. 5- 10. vide locum. Quamvis autem omnia Sacrificia Christi & Sacrificii ejus typi sint, in quibusdam tamen, typi illi pleniùs, evidentiùs & perfectiùs cernuntur, quàm in aliis.*

Faciamus periculum, & videamus

1. *Quomodo Sacrificia V. T. umbra, Typi, & figura fuerint unici Sacrificii Christi?*

2. *Quomodo Sacrificia illa legalia figura fuerint Sacrificiorum spiritualium, à Fidelibus in N. T. offerendorum?*

Aa. *Quomodo Sacrificia V. T. umbra, Typi & figura fuerint unici Sacrificii Christi?*

Unum verum & perfectum Sacrificium Christi, & omnia illius requisita, per unum, vel pauca imperfecta Sacrificia, sufficienter repræsentari non potuerunt; propterea multa & varia Deus instituit, ut, quod non unum, id alterum repræsentaret & figuraret. In *juvencis*, adumbrabatur ejus labor, robur & potentia: in *ove & agno*, ejus innocentia, patientia & mansuetudo: in *Hirco*, similitudo carnis peccati: in *Ariete*, Principatus humeris illius incumbens: in *Turture & Columba*, castitas, simplicitas, probitas, veritas & fidelitas. Considerabimus autem

1. *Quomodo Sacrificia in genere, typi Christi fuerint?*

2. *Quomodo Sacrificia singula in specie?*

N. *Sacrificia in genere, typi fuerunt Christi Servatoris.*

*Omnia animalia offerenda,*

a. *Integra, sine labe & vitio debebant esse, ad Antitypi, Messie nempe, integritatem & perfectionem denotandam, quod sanctum illud est ex Virgine natum, Luc. 1. v. 35. similis nobis, excepto peccato, Hebr. 4. 15. Agnus immaculatus, cujus sanguine redempti sumus, 1. Petr. 1. 18, 19. Hebr. 7. 27. de quo pulchrè Richardus,*

qui

qui circa Annum 1100. in Anglia docuit & scripsit : *In ceteris sanctis magnificum habetur, quod à vitiiis non possunt expugnari : in Christo mirificum videtur, quod à vitiiis non potuit ipse vel in modico impugnari : mentem ejus nunquam rastrum peccatoris pervertit : ventrem ejus nulla libido temeravit : manus ejus nulla inquinavit sanguinolentia : pedes ejus peccati luto non sunt commaculati : totum ejus corpus à maligni spiritus aspergine, integrum servatum est.* Sine peccato fuit non tantum humana ejus natura, in qua passus est, sed etiam ipse sacrificiationis actus, quia passus est pro nobis sine murmuratione, quæ pugnasset contra perfectam patientiam : sine dubitatione & desperatione de Patris sui cœlestis gratia, quæ pugnasset contra perfectam obedientiam.

b. *Animantia offerenda ad tentorii ostium duci debebant.* Et nostra victima, *Christus, in orbem terrarum, Hebr. 1. 6. & sisti illis, quibus tentorii cura incumberebat, hoc est, tradi Sacerdotibus.*

c. *Pecoribus mactandis manus imponebantur, & ista manuum impositione, peccata Sacerdotum, Principum & totius populi, Lev. 4. 3, 13, 22, 27. Nostræ victimæ omnium manus sunt impositæ, omnium peccata in illam coniecta, Esaj. 53. 4, 6. 1. Petr. c. 2. 24. Rom. 8. 3. Non suscepit in se peccata nostra habitualiter & subjective, suscepit tamen illa relative & imputative, 2. Cor. 5. 21. Non portavit peccati nostri substantiam, sed reatum & pœnam peccatis nostris debitam, Rom. 4. 25. Gal. 3. 13. Joh. 1. 29.*

d. *Animantia in victimam destinata mactabantur.* Sic *Christus, ut ovis, ad mactationem ducitur, Esaj. 53. 7. Apoc. 5. v. 9, 12. Mactabantur victima coram Domino, hoc est, ex ipsius voluntate, ordinatione & præcepto. Sic Christus pro nobis in mortem traditus, passus & mortuus est ex definito Dei consilio, Act. cap. 2. v. 22, 23. & cap. 4. v. 28.*

e. *Hostia mactata sanguinem omnem sibi postcebat Deus, Lev. c. 17. 11. qui inferebatur in Sanctuarium, & spargebatur super, & circa altare, Lev. cap. 1. v. 5, 11, 15. Cap. 3. v. 2, 8, 13. Cap. 4. v. 5, 6, 7. Tot autem sanguinis aspersiones, quid significarunt, quàm Christum sæpius, multis in locis, sanguinem suum fundere debuisse ? in circumfissione, Luc. 2. 21. in horto, Luc. 22. 44. in flagellatione, in spinea coronatione, in crucifixione & lateris apertione, ubi sanguinis rivi è sanctissimo ejus corpore erumpentes, fons apertus pro peccato, facti sunt, Zach. 13. 1. Pretiosissimo hoc aspersione sanguine, Hebr. 12. 24. purgamur ab omni peccato, 1. Joh. 1. 7. Apoc. 1. 5.*

Deo acquirimur, Act. 20. 28. reconciliamur, Col. 1. 20. justificamur, Rom. 5. 9. & per hanc *παθήσασθαι ἕως θανάτου ἐν πεποιθήσει* habemus ad Deum, Eph. 3. 12. Hebr. 10. 19.

2. *Sacrificia singula in specie considerata*, Christum præfigurârunt hoc modo.

α. *Holocaustum mactatum*, excoxiatum secabatur in partes, & igni, ut totum combureretur, tradebatur: quibus ceremoniis adumbrabantur omnes circumstantiæ passionis Dominicæ, quæ à quatuor Evangelistis describuntur, & totum Christum *παθόν* nobis ob oculos, animumque sistunt contemplandum. Hic totum se obtulit. *Anima* ejus tanta tulit, quanta mens nulla assequi potest. *Corporis* nulla pars à diris cruciatibus fuit immunis: *Ipsa vestes*, illi, velut pellis pecudi, detractæ, sorte inter carnifices sunt distributæ. Ignis *ἐργονότης* sacram hanc hostiam consumens, ignis fuit tum *træ* divine in peccata, qui Christum ustulavit & absumpsit, tum *ardentissima dilectionis*, quam fortissimæ passionum aquæ extinguere non poterunt. Cant. 8. v. 6, 7. quia Psalm. 40. 8, 9. lætabundus quasi exclamat: *Ecce venio, voluntatem tuam facere delector.* hoc est, Tu, ò cælestis Pater, vis, ut patiar, Tu vis, ut vicariam pœnam pro peccatis generis humani sustineam, & *λύτρω* passionis meæ, illud ab æterno exitio redimam, *ecce venio, placet tua voluntas.* Pœnam vicariam lubens subibo. Sed *inflammatio holocaustorum*, Symbolum etiam fuit *Spiritus S.* qui per ardorem charitatis & obedientiæ, Christi carnem consumit & ipsos fideles, hostias spirituales & acceptas Deo per Christum facit. Hinc ignis, Spiritus S. character, in die Pentecostes fuit, Act. 2. v. 4. & ad utrumque *ἐμπνευσµόν*, Sacrificiorum Vet. Testam. & Apostolorum in die Pentecostes, Johannes spectâsse videtur, quando de Christo ait, ipse vos baptizabit Spiritu & igne. Matth. 3. 11.

β. *Sacrificia pro peccato Summi Pontificis* Lev. 4. 3. aut *Populi*, v. 13. non comedebantur sicut pacifica, nec comburebantur tota in altari sicut holocausta, nec sanguis illorum omnis spargebatur in altari, ut in aliis sacrificiis, sed in velo etiam Sancti Sanctorum. Totum illorum corpus & pellis; solo excepto adipe & renibus, qui adolebantur super altare holocausti; *comburebatur extra castra in loco mundo.* Lev. c. 4. v. 3--13. Hebr. 13. v. 11. Quid multiplex illa sanguinis aspersio præfigurârit, jam supra diximus. Quoddam verò velum, quo Sanctum Sanctorum distinguebatur à Sancto, sanguine illo septies aspergebatur, illo

illo declaravit Spiritus S. viam jam patefactam esse in caeleste sacrarium, Hebr. 9. 8. ad thronum gratiae, Heb. 4. 16. & hanc quidem recentem & vivam dedicatam per carnem Christi, Hebr. 10. 19.

Quia Templi Sanctuarium figura fuit, Ecclesia adhuc militantis in terra, & ipsius quoque Celi, animalium sanguis per Pontificem M. in Sanctuarium illatum Hebr. 13. 11. adumbravit Christi resurrectionem, & cum Apostolis suis quadraginta dies conversationem in terris, quibus in mysteriis salutis & recta typorum Vet. Testam. intelligentia sufficientissimè eos instruxit; ascensionem item in caeleste Sanctuarium. Quidam sanguis in his sacrificiis, super cornua altaris suffitùs spargebatur, Lev. 4. 7. suffitum denotabat intercessionis Christi pro nobis apud Deum Patrem, Hebr. 7. 25. interpellationis item Spiritùs Sancti pro nobis, inenarrabilibus suspiriis apud Deum Patrem. Rom. 8. 26, 27. Et quòd ipsæ quoque fidelium preces, quæ odor optimæ fragrantiae sunt coràm Altissimo Psal. 141. 2. efficaciam suam ab ipso effuso pro nobis sanguine Christi habeant: quo potentior intercessorem habere non possumus, quia solus Mediator est inter Deum & homines, qui λύτρον redemptionis nostræ, justitiæ Dei, in effusione sanguinis sui, persolvit.

Pecorum extra castra combustio, passionis Christi, extra urbem Hierosolymitanam, locum clarissimè præmonstravit. Hebr. 13. 12. simul docuit: relinquentiam aliquando esse Hierosolymam, exeundum è tabernaculo terrestri, deferendum cultum carnalem sacrificiorum, & abeundum esse ad Dominum Jesum extra castra Judaica, in Ecclesiam, in qua vera libertas est à sacrificiis, & omnibus institutis legalibus, quibus in lege Moysi justificari nemo potuit. Act. 13. 38, 39.

Quando Sacrificia pro peccato offerebantur, pro peccato nimirum unius hominis, sive Principis, sive privati alicujus ex populo, non solius Pontificis aut totius Populi, tunc illorum sanguis non inferebatur in Sanctum, sed effundebatur circa basin aut fundamentum altaris, Lev. c. 4. v. 25, 30, 34. neque comburebantur illorum corpora extra castra, sed comedebantur à Sacerdote, qui per illud sacrificium offerentem expiaverat, Lev. 6. 26. & peccatum illius, pro quo obtulerat, in se expiandum susceperat, Lev. 10. 17. Quòd si Sacerdos typicus peccata à Populo, ne illi ampliùs imputarentur, auferebat, & propterea de victima illa pro peccato comedebat, ut illa ipsi & cibus esset, & hostia, illo ipso evidentissimum Christi Servatoris nostri expressum, qui corpus suum hostiam in mortem pro nobis tradidit, peccata

cata nostra in illo in lignum portando, 1. Petr. 2. 24. & simul etiam in cibum, quo animæ nostræ in vitam nutrentur æternam.

c. Dum de holocaustis, & Sacrificiis pro peccato agimus, quomodo Christi fuerint typi, non incommodè mentionem etiam facimus *Sacrificii pro totius populi peccatis*, quod Aries fuit in holocaustum oblatus, & duo Hirci.

α. Aries, qui immolandus erat, Judæis in memoriam revocabat arietem, loco Isaaci à Patre Abrahamo in monte Morijah Deo immolatum, Gen. 22. 13. ubi notandum est: *Isaacum non fuisse immolatum, sed Arietem*, quia Isaacus non erat Servator Mundi, sed Christus, Abrahami, Isaaci & Jacobi semen, cujus typus non est sanguis humanus, qui in sacrificiis fundi non debuit, sed sanguis animalium. Aries iste ex Abrahami ovilibus sumptus non fuit, sed illi à Deo datus, & à non quærente, cornibus in vepribus hærens inventus. Ita quoque Christus Dei filius, à Patre suo cæleste nobis datus, Esaj. 9. 6. Joh. 3. 16. inventus est ab illis, qui non quærebant eum. Rom. 10. 20. Cùm Deus Abrahamo loqueretur, sustulit oculos, & vidit arietem, quem priùs non animadverterat. Ita Christum, naturâ ignotum, Dei verbum nobis ostendit. Matth. 16. 17. Sicut Abraham arietem vidit à tergo, ita quoque diem Christi eminus. Joh. 8. 56. *Vepres & spine*, in quibus hæsit aries, vitæ sunt incommoda, cruces & tentationes, cum quibus in diebus carnis suæ perpetuò conflictatus est Christus. Et, quia *typorum significatio non raro variatur*, ut certa aliqua relatio ad Christum, alia ad corpus illius mysticum, Ecclesiam referatur, ita factum cum Isaaco & Ariete pro ipso oblato *Isaacus ligna portans*, & à Patre ligatus, ad mortem, ut Deo & Patri obsequeretur, paratus, typus fuit Christi, *crucem suam portantis*, & Deo Patri suo ad mortem usque crucis obedientis. Quando verò aries, Isaaci loco, fuit oblatus, schemate mutato, aries Christum, & Isaacus Ecclesiam representavit, quæ à morte, Christi morte, liberatur. Sicut Aries Abrahamo ab Angelo monstratus, pro Isaaco, qui in lumbis suis universum Dei populum habuit: & aries Levit. 16. v. 3. pro Populi Israëliti peccatis in holocaustum oblatus fuerunt, ita Christus obiit pro populo, Joh. 11. v. 50. pro ovibus suis. Joh. 10. 11. Esaj. 53. 4. 6.

β. Duobus Hircis Aaron sortem imponere debuit, sortem unam Jehova, sortem alteram Azazel, Levit. 16. 8.

Hircum, cui obvenit sors pro Jehova, v. 9. Sacerdos pro Populi peccato jugulare debuit, sanguinem ejus intra ipsum velum inferre, & in operculum

operculum Propitiatorii, atque ante Propitiatorium inspergere, ut immunditiæ Filiorum Israelis, à defectioibus ipsorum expiarentur, Lev. 16. v. 15, 16.

Hircus vivo Pontifex Maximus manus imponere debuit, peccata Populi super istum confiteri, & postea per virum idoneum, in desertum emittere, Lev. 16. 22. Vir autem ille, qui hircum eduxit in locum desertum, lotis vestibus & carne, ad castra redire, Lev. 16. 26.

Cùm fors altera in Azazelem ceciderit, quid Azazel propriè sit, magno molimine, non pauci quærent. R. Aben Ezra huic voci magnum subesse dicit mysterium, quod nemo ante annos virilitatis capiat.

Multis nomen est montis, in quem hircus fuerit deductus, & inde vel vento, vel aliâ vi illatâ præcipitatus: Aliis locus asper & confragosus in deserto. Alii, quorum sententia potior esse videtur, volunt nomen esse ipsius Hirci, in desertum emissi, ut sensus sit, v. 8. Aaron sortem jacet super duos hircos, Sortem Domino, hoc est, in hircum maclandum Domino: & alteram, in Azazelem, hoc est, in hircum in desertum dimittendum, unde Patres Græci illum vocant τὸν Ἰράζον Δαίμονι πρῶτον, Hircum emissarium. Fuerunt non ex Græcis tantùm, sed ex ipsis etiam Hebræis, qui Azazelem dixerunt unum esse ex quatuor Dæmonibus antesignanis, qui sint Sammael, Azazel, Azael, Machazeel: Et huic Dæmoni Deum, Hircum alterum destinasse, peccatisque populi onustum adduci iussisse, in figuram, reprobos omnes, quorum peccata non sunt expiata, Dæmoni in æternum excruciosos traditum iri. Cùm enim peccata in illum confiteretur Sacerdos, illum devovisse, ut quicquid pœnarum, propter admissa peccata, populus esset promeritus, in illum converteretur, quâ devotione peractâ, per viri ad id destinati manum, in solitudinem & secessum, seu in terram excisionis deductus, & ibi liber dimissus fuerit, Levit. cap. 16. vers. 22.

Sunt, qui Legem cum duobus hircis, altero maclato, altero vivo in desertum dimisso, cum Lege conferunt de duobus passeribus, Lev. 14. v. 4, 49. quorum uno jugulato, alteri liber in agros volatus permittebatur: & dicunt: Sicut Pharaonis duplex somnium ad eundem collimaverit scopum, ita etiam duplici hoc typo, quantumvis in argumento dissimili, Christi Servatoris nostri mortem & resurrectionem præsignificatam fuisse: quippe cùm peccatum sit animæ lepra, iam duos

passeres pro lepræ mundatione, quàm duos hircos, pro peccatis oblatos, Christi crucifixi mortem & resurrectionem præfigurasse.

Pro varia autem vocis Azazel interpretatione, varii etiam ad Christum typi; & ad Populum Israëliticum allegoriæ, à diversis proponuntur.

¶ Typi ad Christum. Dicunt

a. Alii, per Hircum priorem, sorte Domino designatum, Christum Dei Filium adumbrari, à Deo Patre præcognitum, unctum & missum, ut generis humani peccata in se suscepta, sanguine suo expiaret, 1. Petr. 1. 20. Act. 2. 22, 23. c. 4. 28. 1. Joh. 2. 1. 2. Hebr. 9. 13, 14. Hircum alterum, non Domino, sed Azazeli sorte traditum, fuisse. Per Azazelem autem Diabolum notari, qui, non servatâ origine suâ, domicilium suum reliquerit, Judæ v. 6. & à Deo defecerit: cujus Angeli cum capris & hircis comparentur. Lev. c. 17. v. 7.

b. Hircum *Στοπομαπχιόν*, perinde ut priorem, aliquomodo Christi figuram & typum esse.

aa. Quia Christus portet peccata Mundi, Joh. 1. 29.

bb. Quia in diebus carnis suæ, infernalis Azazel potestatem tenebrarum omnem adversus ipsum concitaverit, Luc. c. 22. v. 53. calcaneum ejus momorderit, Gen. 3. 15. in deserto tentaverit, Matt. c. 4. v. 1-10. & mortem ipsam, cujus potestatem habuerit, ipsi inflixerit, Hebr. 2. 14. Confer Apoc. 12. 4.

cc. Quia, cum Christus in hunc Mundum venisset, merum ille desertum fuerit: unde Johannis Baptistæ, prodromi Christi, præconium, vox clamantis in deserto fuerit appellatum, Joh. 1. v. 23. ex Esaj. 40. 3. Omnia in hoc Mundi deserto fuisse sterilia, infrugifera, spinarum & carduorum pungentium plena, nullaque nec fidei, nec veritatis, nec pietatis in illo messem, ipsamque terram Judæam alienæ potestati, Romanæ nimirum, subjectam, & Legislatore suo orbatam, Gen. 49. 10. unde Ezech. 20. 35. verissimè desertum appellatur. In hoc desertum per unum hominem, ordinem Sacerdotalem, qui adversus ipsum insurrexerat, extra castra urbis, in locum Golgotha fuit eductus, & ibi manu injustorum occisus, Act. 2. 22, 23. tertio tamen die solutis mortis doloribus, redivivus dimissus. Quanquam enim imperum Diaboli & omnis potestatis infernalis sustinere debuerit, non tamen Divina sorte Diaboli prædatus est, sed caput illi contrivit, & per inflictam mortem illum abolevit.

abolevit, qui mortis imperium habuit, Hebr. 2. v. 14. Joh. 14. 30.  
1. Joh. c. 3. v. 8.

2. *Allegoria ad Populum Judaicum.*

Improbi in Scriptura Sacra vocantur *Hirci*, in die novissimo ad vivorum & mortuorum judicis sinistram sistendi, & in infernale barathrum abjiciendi, Matth. 25. v. 33, 41. Hinc inter *hircos ad sinistram*, & *oves suas ad dextram* sistendas accuratè distinguit, Ezech. cap. 34. vers. 17.

Hircum igitur hunc emissarium Populi peccatis onustum, figuram non inicitè statuere possumus *hominum improborum*, & Deo, verboque ejus rebellantium, quales Judæi fuerunt, *qui rupem salutis suæ sceleratè tractantes, Sanctum Domini profanârunt*, & alium dotârunt, Psalm. 16. vers. 4.

Quicquid enim de hircu isthoc prædicatur, *pervicacibus non incommode applicari potest Judæis.*

a. *Lascivi fuerunt, petulantes, libidinosi, cornupetæ, sicut hirci.*

b. *Vivebant coràm Domino, & gaudebant fertilitate atque felicitate terræ Canaan: Sed propter improbitatem suam, è terra sua ejecti, & inter Gentes dispersi sunt: de quibus meredò nunc dixeris, esse sine Deo, & sine Christo in Mundo, Ezech. 2. 12. Infernalis Azazel mentes illorum ita excecavit & infatuavit, ut promissum Patribus suis Messiam, Dei Filium, rejiciant & blasphement. Quid igitur mirum, à viro commodo, hoc est, à Deo designato, Tito, Vespasiani Filio, quum solum Cæsarem, Regem habere voluerint, Joh. c. 19. 15. sedibus suis expulsos, per totum orbem palabundos vagari sine Rege, Principe & Sacrificio, Hof. cap. 3. vers. 4. Azazeli prada, cui ferviunt.*

c. *Hircus emissarius portabat iniquitatem Populi Israël. Portant eandem ipsi Judæi hodie. Sacrificiis orbat, quæ in Christo expirârunt, quam in caput Arietis transferre non possunt, ut illius sanguine expiatur: nec in Caput Hirci emissarii, qui illam in desertum porter: nec transferunt in Agnum Mundi, veterum Sacrificiorum antitypum: Ergò portant eandem ipsi. Verùm portant eandem non, ut Agnus Domini, sed ut in illis, tanquam vasis iræ, vindicatricis Dei justitiæ indicia manifestè cernantur. Hem, quàm longo intervallo pro peccatis luunt, quo Sacrificiis, quibus orbatunt, se expiari non posse vident, nec tamen illa in Christum, qui*

plenissimè expiavit, conicere volunt, digni suâ miserâ atque infelicitate, in qua vivunt & pereunt.

γ. In muneribus & libaminibus ex farina, aut alio terra fructu, cum oleo, vino, thure, sale oblati, Christum manifestè etiam deprehendimus, qui verus est terra fructus, Esaj. 4. 2. Panis vite, Joh. 6. v. 48, 50. Donis Spiritus Sancti, qui oleum est letitiæ, totus repletus, Pf. 45. 8. Sale afflictionum conditus, incorruptibilis & immutabilis, cui ex suavi fragrantia thuris, pretiosissimi sui meriti & intercessionis pro nobis apud Deum Patrem, inæstimabilis accedit valor. Munus è farina sapiens coquebatur, frangebatur, edebatur: hujus consideratio corporis Christi pro nobis in mortem traditi, & in cibum animæ nostræ præparati, nos meminisse jubet.

δ. In manipulis Primitiarum oblati, Typum habemus Resurrectionis Christi. Quemadmodum enim semina in terram projecta, etsi videbantur mortua, reviruerunt tamen, & per incrementum ad maturitatem pervenerunt, 1. Cor. 15. 36. Ita Christus crucifixus, mortuus & sepultus, videbatur ad triduum in morte mansurus: sed resuscitatus virtute Dei, Primitiæ eorum factus est, qui obdormierunt, 1. Cor. 15. 20. Col. 1. 18. Manipulus offerebatur Domino: Christus Patri pro peccatis nostris, qui resuscitatus, Dominus & Christus factus, Act. 2. v. 36. perpetuum sedet ad dextram Dei, Hebr. 10. 12. Manipulus offerebatur post die Sabbathi. Illo ipso die resurrexit Christus. Antequam manipuli primitiarum offerebantur, de primis frugibus nemini gustare licebat. Apostoli demùm post Resurrectionem Christi Spiritum Sanctum in plena mensura acceperunt, Act. c. 2. v. 1. - seqq. Si Christus non resurrexisset, dona Spiritus Sancti gustare nunquam licuisset.

ε. Quinquaginta, post primitiarum oblatum manipulum, dies, munus novum offerebatur Domino, Panis Primitiarum, Lev. 23. v. 15. - 20. Quinquagesimo à resurrectione die, effusus est Spiritus Sanctus in festo Pentecostes super Apostolos, qui verè munus erat novum, & tale quidem, quod Christos inter homines, distribuendum accepit: Spiritus Gratia & precum, Zach. 12. 10. fidei, 2. Cor. 4. 13. solatii, 1. Joh. 16. 7. sub figura panis proponitur, quia intrat in animam, sicut panis in corpus, hominisque vires auget, & confortat.

Bb. Quomodo Sacrificia illa legalia figura fuerint Sacrificiorum spiritualium à Eidelibus in N. T. offerendorum?

Sacrificia

Sacrificia V. T. celsârunt, & ceremoniæ legales omnes, post oblatum Christi Sacrificium. Quisquis ab illo tempore bovem mactat in Sacrificium, reus habetur, ac si virum occidisset; qui pecus sacrificat, est ut decervicans canem, & qui offert munus, ac si sanguinem offerret porci immundi animalis, Esaj. 66. 3. Quotquot tamen, asperfo Sacrificii Christi sanguine, cum Deo in fedus convenerunt, Psalm. 50. 5. illi, ad finem usque seculi, grata Deo Sacrificia offerunt, non è pecudibus, carnalia, sed spiritualia, quæ λατρεία sunt λογική & cultus rationalis, Rom. 12. 1. & Sacrificia justitia, Deut. 33. v. 19. Psalm. 4. v. 6.

De Sacrificiis Christianorum spiritualibus in N. T. concione sequente XVIII. plura dicentur. Hic moneo:

Ex pecudibus Veteris Testamenti sacrificialibus mactatis & oblatis, potuisse fideles rum temporis, & posse fideles etiam nostro tempore discere, Pecorum naturam in aliquibus non: in quibusdam verò omninò imitari.

In bobus vultus & oculorum conspicitur torvitas, quæ omninò homini fideli est vitanda, sicut etiam lascivia hircorum & caprarum: ovium, quæ facillè aberrant, stoliditas, vitulorum luxuria, & columbarum imprudentia. Imitanda verò boum φιλοπονία & laboriositas, caprarum agilitas, ovium simplicitas & patientia, vitulorum vigor, columbarum integritas, & mutuus turturum amor. Fermentum etiam vetus malitia expurgandum, & azymis vascendum τῆς εὐλαβείας καὶ ἀληθείας, 1. Cor. 5. v. 7, 8. Quisquis Deum rectè colit, suavi pietatis odore fragret, & salem in se habeat prudentia & constantia, Marc. 9. 50.

#### Usus Didascalicus.

I. Magna fuit Sacrificiorum pecuinorum in V. T. dignitas & necessitas, quia magnis isthæc Deus in Scriptura dignatur encomiis, quando appellat cibum igne absumptum in odorem gratum, Levit. 1. 9, 13. Cap. 3. v. 11, 16. & quando tribuit illis virtutem, hominem Deo gratum faciendi, peccata expiandi, & remissionem peccatorum impetrandi, Lev. 4. 20, 26, 31, 35. Cap. 9. 7. & Cap. 16. 33.

Ita verò illis, tanquam grato odore, non absolutè & per se delectatus est: sed quatenus illa typi fuerunt Servatoris Mundi, qui seipsum in Sacrificium expiatorium pro genere humano, in peccatis & miseria jacente, obrulit. Quam enim mactationes animalium, illorum sanguinis effusiones, & combustiones delectationem afferre poterant? certè nullam, quin potiùs odorem ingratum: sed dignitatem & necessitatem conciliavit illis, quòd typi fuerunt Sacrificii Christi, & omnis

virtutis & efficaciam illius adumbratio quædam.

Divus Apostolus, Hebr. 9. 22. cordatè asserit: *sine sanguinis effusione, non fieri remissionem peccatorum.* Fufus ergò fuit in Ver. Test. *sanguis animalium*: in Novo Testamento *sanguis Christi.* Sanguis animalium, peccata Populi expiâsse sæpiùs dicitur. Sed expiavit illa, *non per se & virtute suâ*: quomodo enim pecudum cruor crimina delere, & effectus spirituales producere posset? Hebr. 9. 9. cap. 10. 1. 4. Ergò per aliud, *sanguinem nempe Christi, quem typicè præfiguravi*, qui solus purgat ab omni peccato, 1. Joh. 1. 7. Et quidem, cum Sacrificia fuerint *varia, unum hoc, alterum aliud in Christo præfiguraverat*; quo exhibitò omnia cessârunt: ante verò exhibitum, singula, alia quotidie, alia certis temporibus, magno numero repeti voluit, *tum* ut fides & spes in Sacrificium Christi in fine dierum offerendum, his quotidie fomentis alerentur & confirmarentur, quemadmodum corpora cibo & potu quotidie confirmantur, *tum*, ut perfectio melioris illius unci & perfecti Sacrificii, magis magisque innotesceret, & fideles manu quasi ad Servatorem suum ducerentur. Externis enim illis Sacrificiorum spectaculis, doctrina de Passione & merito venturi Messiam longè meliùs ad cunctos disseminari & propagari potuit, quàm per plurima librorum & scriptorum monumenta.

Fuerunt itaque Sacrificia illa *Dei cum Populo suo iniiti federis sigilla*, & vel quasi Sacramenta. *Quamvis enim magna inter Sacrificia & Sacramenta sit differentia*, quod suo loco videbimus, nihil tamen impedit, quo minùs in una eademque re & Sacramenti & Sacrificii ratio, diverso respectu, convenire possit, quia Sacrificia, perinde ut Sacramenta, divinâ authoritate sunt instituta, ut ritibus & ceremoniis illorum Filii Dei incarnatio, cruenta mors, & peccatorum remissio fidelibus significaretur & obsignaretur, & fideles, per eorundem exercitium, ad cultum & venerationem Dei excitarentur.

II. *Satana heic observande sunt artes & astus*, qui, ut typicam illam in Sacrificiis Populi Dei, de venturi Messiam merito & Redemptione generis humani, doctrinam obscuraret, *sua quoque Sacrificia per orbem terrarum suis cultoribus dictavit.* Quia enim sacrificandi ratio ab ipsis Mundi incunabulis usitata fuit, & Dei Opt. Maximi in Sacrificiis divinitùs præscriptis complacencia ex cœlesti *ἐπιπροσώπου* colligi potuit, Satanas impudens Dei Simia, suis quoque cultoribus, talem cultûs Sacri rationem præscripsit, qualem à Deo verò, Populo suo præscriptam esse, non nesciebat. Pulchrè & ad rem

Tertul-

Tertollianus Præscript, Cap. 40. *Ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, emulante affectavit Diabolus exprimere in negotiis idololatria. Tingt enim & ipse quosdam uti credentes & fideles suos: Celebrat & panis oblationem. Cæterum si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si Sacerdotalia officia & privilegia, si Sacrificialium ministeria & instrumenta, & vasa ipsorum Sacrificiorum ac piaculorum & votorum curiositates consideremus, nonne manifestè Diabolus morositatem illam Mosaicæ Legis imitatus est? Porro inter alia Sacramenta, nulla magis, quàm Sacrificia Judæorum affectavit. Non Judæorum tantum, sed etiam Patriarcharum ante legem latam, & persuasit suis cultoribus, sacrificandi istum ritum à Deo derivari, exemplo Numæ Pompilii, qui sacra sua Deæ Ægerie monitu se instituisse dixit, cum qua congressus habeat nocturnos. Cæterum omnia Gentilium Sacrificia enucleatissimè describit Nobilissimus Vir, Dominus Guil. Scukius, Theologus Tigurinus, ad cujus aureum opus Benevolum Lectorem remitto.*

III. *Verissimum & propriissimum fidelium in N. T. Sacrificium est Passio, Crucifixio, Mors & Meritum æterni Dei Filii Θεανθρώπου, Domini nostri Jesu Christi, per omnia Sacrificia V. T. in genere, & unum quodque illorum singillatim adumbratum. Imò verò ipse Sacrificium est & Sacerdos. Veteris Testamenti Sacerdotes non fuerunt ipsum Sacrificium, sed mactabant & offerebant Sacrificia, non mactabantur ipsi: occidebant victimas, non occidebantur ipsi. At Christus Sacerdos noster, seipsum per Spiritum suum æternum obtulit inculpatum Deo, Hebr. 9. 14. Sacerdos & Sacrificium: mactatus & occisus in typis animalium sacrificialium *ὁ τοῦ κατὰ Βολῆς ἑσόμενος*, Apoc. 13. 8. in plenitudine autem temporis ipse sceleratorum manibus cruci affixus & interemptus, Act. 2. 23. in qua sui oblatione, Patrem non oravit, ut non moreretur, sed tantum ut à morte salvus fieret, Hebr. 5. 7.*

*Cùm igitur essentia Sacrificii, in ejus mactatione & morte consistat, Christi Sacrificium Deo Patri pro nobis offerri non potuisset, nisi in cruce mactatus & occisus fuisset.*

*Sacerdotes quidem V. T. animalia offerenda mactârunt, occiderunt, dissecuerunt, cremârunt: Sed Christus seipsum non occidit, verum ab aliis, Judæis nempe & Gentibus, occisus, seipsum Deo Patri obrulit εἰς θυσίαν, καὶ ὁσμήν ἐνώπιον, Eph. 5. 2. Seipsum Patri offerens, animam suam posuit, sed eâ potestate, quâ resumpsit, Joh. 10. 18. Passio ipsi per violentiam illata, mortifera fuit: Mors tamen non nisi voluntaria. Quis ita dormit, quando vult, sicut Christus: mortuus est, quando voluit? Aug. Mors ergo non pervenit ad Christum, sed Christus ad mortem. Sedulius,*

In verissimo hoc & propriissimo Christi Sacrificio *Satisfactionem* habemus pro omnibus peccatis nostris, eorundemque culpa, reatu, macula & pœna: & *satisfactionem quidem veram, propriam, perfectam*, & justitiæ adæquatam.

a. *Veram & propriam*, quia ipse Christus, est

α. *Sacerdos offerens*, Hebr. 9. 14.

β. *Deus cui offertur, & hoc sacrificio satisficit*. Est enim eisdem cum Patre & Spiritu S. essentia.

γ. *Sacerdos*, qui pro miseris nobis peccatoribus satisficit. 1. Tim. 2. 6. Matth. 20. 28.

δ. *Ἀνθρώπου satisfactionis*, & quidem suâ obedientiâ, Phil. 2. v. 8. 9. *Corpore suo*, quod cruci affigi passus est. Act. 2. 23. *Sanguine suo*. Rom. 3. 25. Eph. 1. 7. 1. Joh. 1. 7. *Morte suâ*. Matt. 20. 28. Rom. 5. 10.

b. *Perfectam & justitiâ divinâ adæquatam*, idque

aa. *Propter dignitatem Personæ suæ*. Est quidem שׂוּתָא דְּבְרֵי filius hominis. Danj. 7. 13. juxta tamen Dominus gloria 1. Cor. 2. v. 9. & Deus. Act. 20. 28.

bb. *Propter gravitatem pœnæ*. Thr. 1. 12. Ef. 43. 24. c. 53. 3. seq.

cc. *Propter approbationem Patris*, qui acquiescit in *Personâ* hujus Sacerdotis, Matth. 3. 17. & in *sacrificio*, quod obtulit: propterea ipsum excitavit solutis doloribus mortis. Act. 2. 24. Hinc certa est nostri cum Deo reconciliatio. 2. Cor. 5. 20. *Remissio peccatorum*. Ef. 53. 25. Danj. 9. 24. *Regeneratio per Spiritum S.* Gal. 3. 14. & *vita æterna* Joh. 6. 51, 54.

Veteris Testamenti Sacrificia, umbra fuerunt rerum futurarum, sed *Corpus est Christi*. Col. 2. 17. Hoc exciso, sacrificium & munus est abolitum, templum dirutum, & Hierosolyma vastata. Dani. c. 9. v. 26, 27. Sed *verum hoc & propriissimum Christi sacrificium*, per quod cohibita est defectio, peccata obsignata, iniquitas expiata, & adducta justitia, Dani. 9. 24. *nunquam amplius abrogatur*, sed valet in perpetuum. Heb. 10. v. 1, 5, 11, 12, 14.

Quæritur: Si Judæi Christum non rejecissent, an & quomodo desitura fuissent Sacrificia?

R. 1. Omnino desitura fuissent, quia sic Deus decrevit, & decretum suum per Prophetas, cum primis per Danielelem; qui Judæis spina est in oculis, ex quo omnes de Messia disputationes, vafre, quantum possunt, subterfugiunt; manifestavit.

2. Si

2. Si Christum non rejecissent, *finem illis pro sua sapientia & potentia alio modo imponere potuissent; & imposuisset quidem per conversionem illorum ad fidem Christi, quo facto, ab Apostolis moniti, sacrificia & reliquum cultum ceremoniale sponte abdicassent. Sed voluit Deus ad declarandam suam justitiam, potentiam, sapientiam, misericordiam, nefandam filii sui necem, in illis, qui calum obdlexerunt, pro merito punire, alios per misericordiam suam convertere, urbem verò & Templum diruere atque excindere, ne ullus sacrificia & cultum ceremoniale revocandi locus, & commoditas superesset, torique Mundo ad usque finem ejus pateret, venisse Christum durantibus sacrificiis, durasse illa ad Christi usque passionem: post ejus ascensionem locum esse destructum, & frustra expectari à Judæis ejus restitutionem, Dan.9.27.*

### Ufus ad Elenchum

#### I. Judæorum,

a. *Qui veram in sacrificiis externis expiationem querebant: iterumque illam in imaginaria sua restitutione terræ Canaan & reparazione Templi atque sacrificiorum, sub putatitii sui Messæ adventum, se invenire velle, opinantur.*

Quando à Christianis interrogantur, *cur non amplius sacrificent, cum toties in Scriptura sacra sanctificare jubeantur?* variè se torquent, & non nulli, ut fucum imperitioribus faciant, respondent, *fieri à suis Rabinis aliquid sacrificiis analogum in illis locis, ubi magnus Judæorum reperitur numerus: concessum hoc esse aliquibus, non omnibus & singulis. Sed mentiuntur perfidi verpa.* Locus, ubi sacrificandum erat usque ad Messæ adventum, destructus est, omnesque Judæorum machinationes de illo reparando, jam per sedecim integra secula, abierunt in fumum.

Jam in V. T. in quo Sacrificia præcepta fuerunt, *fastidivit illa Deus, sine fide, sine obedientia & charitate oblata.* Sine fide, sacrificium Caini, Gen.4.4. Sine obedientia, sacrificium Saulis. 1.Sam. c. 15. v. 22. Sine charitate & misericordia, sacrificia Pharisæorum. Matth. 12.7. ex Hof. 6.6. Confer Jes. I. II. Jerem. 7.22. *Cur non ea omnino repudiaret in N. T. quia cultus illorum irrationalis fuit, & peccatorum expiationi ex se peragendæ, quæ sola in sacrificiis spectari debebat, planè inidoneus: unde nec perpetuus esse poterat, & cum semel, exhibito Messâ, cujus veram peccatorum expiationem*

adumbravit, sit abrogatus, in æternum non ampliùs restituendus. Ad quid enim queso, hodie pecudum cruor? ad quid quotidianæ animantium lanienæ? ad quid fumantium carniùm nidor? num sancti quid ista in se continent, ut Deus istiusmodi dapibus olim pasci voluerit, aut, exhibito Messîa, adhuc velit? Nisi alius quid illa olim instituta spectâssent, & futurorum umbra fuissent, ingrata potiùs, quàm jucunda sacra fuissent; quanto magis ingrata nunc sunt, ubi futurorum illæ umbræ, exhibito corpore, meliori cultu permutatæ sunt. S. Apostolus Paulus totâ ferè epistolâ ad Hebræos, sacrificiorum infirmitatem & imperfectionem contra Judæos urget, & cultûs illius abrogationis necessitatem pluribus argumentis docet, ex consideratione partim Sacerdotum, partim ipsarum victimarum.

α. Ex consideratione Sacerdotum, qui expiationi peragendæ, & impares, & indigni fuerunt.

aa. Impares, quia nudi erant & mortales homines  
Hebr. 7. 23.

bb. Indigni, quia ipsi quoque peccatores & polluti, Heb. 5. 3. Verus autem Sacerdos & peccatorum expiator, innocens, impollutus & à peccatoribus segregatus fuit, cui pro peccatis propriis victimas offerre, non fuit necesse, & deinde demùm pro peccatis populi, Hebr. 7. 26, 27.

β. Ex consideratione victimarum, quæ irrationales fuerunt, & sanguis illarum nimis vilis, quàm ut conscientiam purgaret, unde quotidie fuerunt repetendæ, donec perfectior venit Sacerdos, qui unicâ oblatione in perpetuum consecravit salvandos. Hebr. 10. 14. ex quo omnium veterum sacrificiorum apparatus, voluit expleto suo ministerio, meritò cessavit & evanuit. Dan. 9. 27.

b. Qui putant, Hircum emissarium in desertum emissum, iussu Dei, Azaëli, hoc est, Diabolo destinatum & oblatum fuisse. Quo nihil fingi potest absurdius, & commentum hoc meritò Cyrillus, Theodoretus, Isychius & Procopius rejiciunt. Cùm enim Lev. 17. v. 7. disertis verbis, Deus Demonibus sacrificari vetet, & ille ipse hircus, qui servabatur, vivus coràm Domino fisci jubeatur, Lev. 16. v. 10. certè hircus uterq; Deo ex aquo fuit devotus, & solùm differebant in offerendi modo: Unus super altare mactabatur, & alter vivus in desertum emittebatur. Vide Bocharti Hjerzoic. Part. 1. lib. 2. cap. 56. p. m. 652. 653.

II. Pontificiorum,

a. Greg. de Val. negat de ratione veri sacrificii esse, ut sit divinitus institutum, sed tantum accidens quoddam esse: ideoque illa semper ab omnibus Gentibus ad cultum divinum fuisse adhibita, ex lumine & instinctu naturæ. Tom. 4. disput. 6. qu. 11.

Jesuita Salmeron Tom. 9. Tract. 29. scribit, se à Viro docto intellexisse, si Christus in ratione sacrificii eucharistiam non instituisset, quòd Ecclesia illud adhuc potuerit instituere. Id, quod Joh. Mercerus approbat: Ipse verò Salmeron, falsum credit, & veri Sacrificii requisitum, institutionem divinam agnoscit.

Qui ex Pontificiis sacrificia à Deo instituta negant, loco Esaj. c. 1. v. 11. ad quid mihi multitudo vestrorum sacrificiorum abutuntur, & dicunt, Deum sacrificia non potuisse instituere, cum illis non deleteretur.

Et. Non detestatur ea simpliciter, quatenus à se instituta sunt, sed secundum quid, quatenus à Judæis profanata, temerata & polluta, adeoque secundum institutionem divinam non sunt administrata. De illorum institutione satis ex Levitico constat, & de eorundem ad Dei jussu exercitio, ex Jobi cap. 42. 8. Noluit Deus sibi afferri sacrificia manibus cæde plenis Esaj. 1. 11. voluit autem ea, quæ manibus lotis, hoc est, mente sanctificatâ offerebantur. Esaj. 15, 16, 18. Quod Gentiles sacrificarunt, id non ex lumine & instinctu naturæ, sed ex ridicula quadam κακοζηλία suorum Majorum acceperunt, & hi à primis Gentium fundatoribus, Noachi filiis, quos, vera sacrificia in idololatrica convertendo, ex corruptione naturæ æmulati sunt, quod inter alia exemplo Agamemnonis constat, qui filiam suam Iphigeniam sacrificare voluit, quia simile quid ab Abrahamo factum esse audiverat.

b. Docent nullam Religionem, sine sacrificio externo propriè dicto, esse posse, quia omnis Religio, sive vera sive falsa, sacrificia ad cultum Dei adhibeat: Sacrificiaq; cum ipsa Religione vel nascantur, vel intendant. Bellarm. l. 1. de Miss. cap. 20. pag. m. 1397. Bayus quidam, homo quoque Pontificius, adhuc audaciùs loquitur: Nulla Gens tam fera, tam barbara fuit, quin ad cultum Dei sacrificia adhibuerit. Et Joh. Mercerus Theol. Paris. Non est de ratione sacrificii, vim habere ex sacrificio Christi. Hinc concludunt

1. Etiam in statu innocentie futurum fuisse Sacrificium, etiamsi Christus non fuisset venturus.

2. Sacrificium aliquod externum dari in Novo Testamento.

3. *Sacrificium illud N.T. incruentum esse Missa Sacrificium, & Sacrificia pro mortuis.*

Sed falsissima est & hypothesis, & quæ huic superstruuntur : quia Religio Christiana in Nov. Test. nullum habet Sacrificium propriè dictum, quotidie offerendum. Christi Passio & Mors, Sacrificium nostrum est jam oblatum, non amplius offerendum, cujus memoriam in S. Cœna reperimus : Christum non iterum pro peccatis vivorum & mortuorum offerimus : Sacrificia nostra, spiritualia sunt & analogæ, non propriè dicta. Sacrificium missæ horribilis est idololatria. Sacrificium externum, hodie nec umbra nec veritas est, sed mendacium & vanitas.

### III. Socinianorum, qui docent

1. *Peccata Patrum sub V. T. non esse expiata per Christum, in futuro illius Sacrificio.*

2. *Peccatis gravioribus non fuisse propositam in V.T. expiationem, neque etiam vi federis illis obtigisse.*

3. *Negant instituta fuisse Sacrificia pro peccatis gravioribus, sed tantum pro ignorantibus & infirmitatibus.*

4. *Concedunt Sacrificium anniversarium typum Christi fuisse, epistolæ ad Hebræos evidentiâ ducti : de reliquis negant.*

5. *Negant Sacrificium Christi, verum fuisse Sacrificium expiatorium, sed præparationem tantum ad Sacerdotium in celo perficiendum, & adumbrasse Sacrificia mentis nostræ, preces & penitentiam.*

6. *Expiationem peccatorum olim factam, fuisse tantum, quoad pœnæ temporariæ reatum.*

Singulos hos Socinianorum, hominum Sacrificio Christi propitiatorio iniquissimorum, & qui Christiano nomine appellentur, indignissimorum, errores totus cultus Leviticus, & institutio divina Sacrificiorum, Epistola item tota à Paulo ad Hebræos scripta, & ea, quæ superius diximus, sufficientissimè refutant. Vide etiam Clarissimi Jacobi Altingii explicationem Catecheseos Palatinæ, pag. m. 57.

### Ufus ad Informationem.

Quia Sacrificia Veteris Testamenti typi fuerunt Sacrificii Christi, peccatorum nostrorum, non typicè, sed verè & realiter expiatorii,

torii, cujus sanguis longè pretiosior est sanguine vitulorum & hædorum, apparet hinc :

*Peccata nostra, non demùm expianda, sed verè jam expiata esse : verè jam cobibitam esse defectionem, peccata verè obfignata, &c. Dan. 9. v. 24. Mich. c. 7. v. 19, 20.*

Pecora Sacrificialia vice hominum in Veteri Testamento oblata fuerunt, quæ omnia offerentium peccata expiârunt. Egregia typi & antitypi harmonia. Victimæ imponitur peccatum, fit immunda, interficitur, sanguis ejus funditur, dispergitur, caro super altare comburitur, ut, ex sapientissima Clementissimi Dei ordinatione & institutione, offerentis anima expiata Deo reconcilietur. Planè ita Pater cœlestis peccata nostra in Christum Filium conjecit, qui ab hostibus captus, contemptim habitus, illusus, flagellatus, iniquè damnatus crucifigitur & moritur, ut nostra in lignum crucis portata peccata expiaret, 1. Petr. 2. 24.

Grandes sumus peccatores, mortem corporalem & æternam meriti, digni qui maestemur sicut pecudes sacrificiales, qui igne comburamur æterno & inextinguibili. Sed ecce Sacrificium expiatorium omnium peccatorum nostrorum ab ipso Deo nobis ordinatum, Christum, æternum Dei & Mariæ Filium Θεῶν υἱόν, vadem pro nobis idoneum, potentem & locupletem, qui omnium peccatorum veniam, Spiritûs Sancti auxilia, & omnia reliqua, quibus ad salutem æternam egebamus, Sacrificio suo nobis impetravit : sicque passioni & morti ejus pœnæ vicariæ ratio pro nobis est tribuenda, Esaj. 53. 4, 5, 6, 12. Tulit peccata nostra ex Dei consilio, ut reus tractatus, & cùm peccatum non nosset, peccatum pro nobis factus, 2. Cor. 5. 21. *Ita peccatum pro nobis factus*, non, ut nos in Christo punitos esse putemus. Quisquis enim in proximo punitur, ille ex malis proximo illatis, ipsemet detrimentum capit, quæ earum pœnarum ratio est, quas in liberis suis Parentes aliquando luunt, quando ex illorum calamitatibus dolor, infamia aut pœna ad ipsos Parentes redit. Aliter se res habet cum pœnis, quas Christus pro nobis sustinuit, ex quibus non nihil omnino mali, nihil detrimenti ad nos redit, sed maximum insuper bonum, peccatorum nostrorum venia, & sempiterna salus, ex quibus facillè colligitur, aliud esse, nos in Christo : & aliud, Christum pro nobis pœnam luere. Christum pœnam pro nobis luiturum, qui jam luit, non tantùm vetera Sacrificia adumbrârunt, & Prophetæ prædixe-

runt, sed Novi Testamenti Ministri, Apostoli Christi, manifestè hoc idem docent, Hebr. 13. v. 10, 11, 12. Cap. 1. 3. 1. Joh. 1. 7. Et sanguini Christi pro nobis fuso *ἀπολύτρωσιν* tribuunt, Hebr. 9. v. 15. Eph. 1. 7. Col. 1. 14. &c. Emphatica etiam sunt verba Apostoli, 1. Joh. 4. v. 10. *In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & dedit Filium suum ἱλασμὸν ὡς τὸ ἁμαρτιῶν ἡμῶν*: ubi loquitur de morte Christi, non de morte victimæ piacularis, quòd peccata expiet. Illa in typo & significatione: hæc in rei veritate, 1. Cor. 15. 3. Gal. 1. 4. 1. Petr. 1. 18. quibus in locis docetur, *peccata nostra mortis Christi fuisse causam impulsivam*: finem autem peccatorum expiationem: quæ duæ causæ ita convertuntur, & conjunguntur, ut ubi altera explicatur, altera intelligi debeat, alteraq; pro altera sæpè ponatur.

#### Usus ad Consolationem.

I, *Ex Sacrificio Christi, Sacrificiorum Veterum antitypo, efficacissimam habemus consolationem.* Quemadmodum Sacerdotes V. T. peccata propria, Principum & totius Populi, capitibus Sacrificiorum offerendorum, & duobus hircis, Levit. 16. imposuerunt: ita Christus sponso & fidejussor noster apud Deum, nostra sibi imponi passus fuit peccata. O charitas sine modo! ò Gratia sine merito! ò opus sine exemplo! Æternus Dei Filius *Θεὸν ἰδὼς* nostro loco patitur, pro nobis sanguinem fundit & moritur: Ita ille peccatis nostris oneratur, & nos liberatur: Ipse peccatorum nostrorum pœnis gravatur, & nos ab illis salvatur. Pulchrè de hac translatione Augustinus in quæst. Vet. & Nov. Test. quæst. 55. *O mirabilis censura conditio, & ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus & punitur justus: Delinquit reus, & vapulatur innocens: Offendit impius & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exsolvit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus.* O Nate Dei, ego iniquè egi, Tu pœnâ multaris: Ego facinus admisi, tu ultione plecteris: ego crimen edidi, tu torture subjiceris: Ego superbivi, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: Ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientia mea luis. Me ad illicitam concupiscentiam rapuit arbor: te perfectæ charitas duxit ad crucem: Ego fruor delictiis, tu laniaris clavus. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem.

Quid ergò ò Salutis cupidæ animæ? nonne in Christi Sacrificio exultatis? meritò. Non expiavit peccata tantùm veterum, sed & nostra. Expiavit & sustulit peccata Patrum per Sacrificium suum,

suam, ante suum in carnem adventum: tollit etiam nostra per suum in cruce Sacrificium. Nec Patres à salute fuerunt exclusi, nec nos excludimur, nec alio modo illi salvati sunt quàm nos, aut nos, quàm illi, Act. 15. 21. Apoc. 5. 8, 9, 10.

Expiavit nostram ignorantiam, & implet nos omni agnitione voluntatis suae, Col. 1. 9. Expiavit peccata nostra, quæ sæpè in peccatis & contra conscientiam nostram commisimus, qualibus peccatis ipsi regeneriti non rarè se commaculant, velut David & Petrus, &c. seducti nempe vel à concupiscentia carnis, vel ab instinctu Satanæ, aut externo metu & illecebris mundi.

Quomodocunque verò peccaverimus, *consolatur nos penitentes & regeneritos*, quòd longè feliciori cum successu & majori cum efficacia peccata nostra expiavit, quàm Sacrificia typica. Dicamus illi, *O bone Jesu, tolle tu à nobis, quod nostrum est, & dona nobis, quod tuum est.* Timemus iram Dei? placatus est per hanc victimam. Meruimus Legis maledictionem? transfixum & deletum est in ara crucis ejus contra nos chirographum. Pertimescimus mortem aeternam, & infernales subeundos ignes? Nulla jam in nobis ampliùs est damnatio, qui sumus in Christo Jesu, Rom. 8. 1. Mortuus est Christus, ut nos à morte liberaret: vivit ut nos aeternum cum eo.

II. *Felices jam sumus in Novo Testamento, post impletos in Christo Sacrificiorum veterum typos, & vaticinia Prophetica.* Nam Sacerdotum Veteris Testamenti officium fuit res hominum apud Deum agere, Hebr. 5. 11. *Ministrorum N. T. officium est, non tantum res hominum apud Deum agere, pro illis intercedere & orare: sed res etiam Dei apud homines, hoc est, illis omne consilium Dei de salute nostra in Christo & per Christum impetranda patefacere, Act. 20. 27. Pro Christo enim nos Ministri, dispensatores mysteriorum ejus, legatione fungimur, tanquam Deo 2. Cor. 5. 20. exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

Ufus ad Exhortationem.

Quoties cultus Veteris Legalis sumptuosi & molesti mentionem fieri audimus, à quo per Christum liberati sumus,

I. *Meminerimus, obligari nos quoque in Novo Testamento ad jugem Dei cultum, qui Deo exhibendus est*

*Internè, in divini Numinis veneratione, certis Legibus, secundum præscriptum Verbi Dei, devincta, quæ nos cum Deo conjungit, & in Mundo adhuc existentes, coelestia quærere docet.*

Et externè, in veræ Religionis, & omnium ejus partium exercitio, de quo suo loco,

Et meritò quidem *ad jugem Dei cultum obligamur*, qui *idem Deus noster* hodie in Ecclesia vera Novi Testamenti in Christo est, sicut Populi Israëlitici Deus olim ex federe fuit. *Item noster Benefactor* est, qui nobis corpus, animam, & redemptorem ad vitam æternam dedit, Ecclesiamque suam apud nos plantavit, mirabiliter hactenus adversus Satanæ & Anti-Christi furores conservavit, nos ab infidelibus separavit, & sibi à nobis non holocausta externa, sed Sacrificia justitiæ, Psalm. 51. 21. offerri præcipit, quæ non sunt operum nostrorum merita, telæ illæ aranei, Esaj. 59. 6. *sed gratitudo pro beneficiis suis*, quæ largissimâ nobis mensurâ confert, Psalm. 50. 14. Eccl. 1. 7. *Nihil enim animo geri melius potest, aut ore promi, aut calamo explanari, quam Deo gratia.* August.

I I. Sicut Adam Filios suos modum sacrificandi illum docuit, quem ipse à Deo accepit, quum ex mactatis ad Sacrificium animalium pellibus, tunicas illi & uxori, ad nuditatem suam tegendam fecisset, *ita etiam solliciti simus de liberis nostris in Religione Christiana, & vero Dei cultu diligenter instituendis*, juxta præceptum ipsius Dei, Deut. 4. 9. & 6. 20. exemplo Abrahami, Gen. 18. v. 19. Davidis, Psalm. 34. 12. & 71. v. 18. Loidis item & Eunices, 2. Tim. 1. 5.

III. Quemadmodum fideles in V. T. offerentes, ritus sacros ita peragere debuerunt, ut cultui externo & symbolico subesset internus animi cultus, rectaque de Dei Providentia, justitia, benevolentia & beneficentia fides, ea sacrarum legum reverentia, ea peccatorum poenitentia, eaque vitæ rectè agendæ studia, quæ pium quemque decebant: *ita hoc idem in cultu nostro externo requiritur*, in quo Deus cor præ cæteris à nobis postulat, & animum. *Cedò, fili mi, animum tuum mihi.* Prov. 23. 26. Animus sincerus, omnem Dei cultum reddit efficacem, qui sine hoc mera est hypocrisis, & Deo tam non placet, quàm illi non placuerunt sacrificia, à manu sanguinolenta & cædis plena, oblata. *Fumus in cælum ascendere putatur, sed disparet in athere*, in cælum nunquam pervenit, *sic omnis cultus sine cordis integritate*, qui non nisi Sichemitarum circumcisio est, Achabi jejunium, Ananiæ eleemosyna, adeoque ceruffata Jesabelis facies.

*Pectusculum ex Sacrificiis Aaroni & Filiis illius olim cedebat in partem*, Lev. 7. 2. *Cor nostrum Deo tradendum*: traditur ipsi, quando omnis cogitatio nostra in eo terminatur, ita quidem, ut sine ipso, omnis

omnis nobis amarus sit amor. Fugitivum & vagum est cor nostrum, petulantium puerorum more; Demus operam, ut omni custodiâ, servemus Deo.

IV. Colamus Deum, non ad natura corrupta instinctum, sed ad præscriptum verbi & præcepti sui: Sicut Abel ex fide sacrificavit, Hebr. c. II. v. 4. ita nos cultum ex fide, Deo præstemus. Fides autem non est, nisi ex auditu, & auditus ex Verbo Dei, Rom. c. IO. v. 17. Verbi hujus directorium Scriptura Sacra est, quo, qui in Deo colendo non ducitur, illius animus tranquillus esse nunquam potest. Facebant ergo cum suis traditionibus extra, præter & contra scripturam, Pontificii. Sicut veteres Patres juxta præscriptum Dei ex fide sacrificarunt, usque ad Christi adventum, juxta illud Athanasii: *Quæ Moses docuit, eadem ab Abraham observata sunt: quæ Abraham observavit, eadem Noah & Enoch agnoverunt, distinguentes munda & immunda, gratiosi apud Deum fuerunt. Abel quoque hujus rei testis habendus est, qui ea, quæ ab Adam didicerat, obtulit Deo: Adam autem magisterio Dei instructus fuit: Ita nos, à quo Christus venit, Sacrificiaque vetera implevit & abolevit, cultum Deo præstemus ex fide in Christum exhibitum, non nisi ad præscriptum Verbi Dei Sacrificium mōx ab ipso mundi exordio præcipit, ut commune essent pietatis exercitium, quo fideles, se Dei esse profiterentur, sua omnia illi accepta ferrent, & quotidie, expiatione sibi opus esse, commoneferent, si Deo reconciliari vellent. Eadem nobis mens sit. Celsarunt Sacrificia: non pietatis exercitia, non fides in illum, quem Sacrificia adumbrarunt, per quem, peccatis nostris expiatis, cum Deo reconciliati sumus, I. Tim. 4. 8. Exerce teipsum ad pietatem, &c. præcipua hæc hominis virtus est, sine qua omnis reliquus hominis, utut splendidus, apparatus, nihil est.*

*Hæc de Sacrificiis Veteris Testamenti.*

### Epilogus.

Num. 35. 23. seqq. Inconsiderato percussori civitas receptus destinata erat, in qua ad mortem usque Pontificis Maximi maneret, confer Jos. 20. 6. *Mysterium! Primi Parentes inconsiderati fuerunt generis humani percussores, Rom. 5. 12. liberandi demum morte veri Pontificis Maximi, qui mortem pro omnibus gustavit, Hebr. 2. 9. Mortuus est hic Pontifex: eja! gaudete, jam libertati sumus restituti, Rom. 3. v. 25. & in Filios Dei adoptati,*

D d d

I. Joh.

1. Joh. 3. 1, 2. Pulchrè Theodoret. quæst. 31. in Num. Cur ad obitum Pontificis prescribit homicida reditum, qui nolens interfecit? Quia morte Pontificis secundum ordinem Melchisedek erat humani peccati solutio: ille rediit in Paradisum eos, qui illinc exulabant.

Huic Pontifici nostro Jesu Christo, Patri illius cælesti,  
& Spiritui Sancto sit laus, honor & gloria  
in sæcula sæculorum: Amen.



## Libri I. Cap. XIV.

### DE LEGE CEREMONIALI.

#### CONCIO XVIII.

### *De Sacrificiis Christianorum in Novo Testamento.*

*Roman. cap. XII. v. 1.*

Precor igitur vos, fratres, per miserationes Dei,  
ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, san-  
ctam, acceptam Deo, rationalem illum cul-  
tum vestrum.



Ocrates Philosophus Gentilis, Sacrificia olim quàm minimis impendiis constare voluit, quòd Dii non egeant rebus hominum & magis spectent affectus immolantium, quàm divitias. Cùm enim improbissimi quique abundent divitiis, actum fore de rebus humanis, si malorum potius, quàm bonorum, victimis delectarentur.

Congruè profectò dictum, quia rebus humanis non eget Deus: omnis bestia sylvestris, & jumenta in montibus mille, illius propria sunt. Psalm. 50. 10. At Sanctis suis delectatur, qui cum ipso in se-  
dus conve-